



TRVNCONII

De custodienda
Puerorum
Sanitate











1
6
566
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE
50.000 - 10-939



Rhemigij Meliorati

XV

TRUNC



IACOBI TRVNCONII PHILOSOPHI AC MEDICI

De custodienda Puerorum Sanitate.

Ante Partum, in Partu, & post Partum

De curandis eorumdem morbis ex Hippocrate, quousque Caninos Dentes emiserint.

ACCESSIT

Tractatus de Variolis, & Morbillis, & Epistola eiusdem Auct. de Prauis Febribus cum peticulis, quæ anno MDXC. & XCI. per Italiam vagarunt.

AD SERENISSIMAM D. CHRISTIANAM LOTHARINGIAM MAGNAM ETRVRIÆ DVCISSAM.



FLORENTIAE,
APVD PHILIPPVM IVNCTAM. MDXCIII.
Cum Licentia Superiorum, & Priuilegio.

SERENISSIMAE CHRISTIANAE LOTHARINGIAE

Magnæ Duciſſæ Hetruriæ.

IACOBVS TRVNCONIVS SVMMAM FELICITATEM D.





VM tuæ Sereniſſimæ celſitudini iam notũ foret, nullam in vrbe hac Florẽtiſſima inueniri mulierem, quæ obſtetricalem artem alioquin vtilem, & maxime omnium neceſſariam, ita didicerit, vt difficultatibus in partu contingentibus, oportune tutoq́ue pariẽti opem afferre ſciat, ſed imperitarum obſtetricum culpa ſæpius contingere, vt infantes periculoſe agant. Idcirco tua Celſitudo, tamquam princeps humaniſſima, erga omnes vrbis mulieres pietate adducta, commu-

ni earum saluti consulendum esse decreuit. Quamobrem obstetrices edocere medicorum esse partes, cum recte dixisset, iussit pariter, vt ex ipsis obstetricibus, quæ magis apta comperiretur, ita instrueretur, vt in quolibet laborioso partu ingenio, & arte succurrere valeret. Ita namque, & Moschio ille Grecorum medicus celebratissimus consulebat inquiens; Sic namque obstetrix esse debet vt muliebrium causarum sit edocta, & medicinali exercitatione perita. Ego autẽ, qui tuæ Celsitudini pro viribus inseruire perpetuo addictus fuero, tunc eius præceptũ pro singulari gratia dum acceperim; vt pium sanctumque eius desiderium exsequeret, quã primum inter cæteras obstetrices, aliquas selegi aptiores docibilioresque compertas, & eas qua valui arte instruxi: Vt insuper singulæ, quæ ad hanc artem se dicari velint, præcepta artis addiscere possint, opusculum edidi, in quo de obstetricali arte agitur, quod vt singulæ documenta ex eo recipere queant, vernacula lingua à me transcribendum curabitur. Verum quoniam antequam ad sui ortum ducatur puer, per nouem menses, & vl-

tra

tra imperfectus, & viribus inualidus in matris vtero, tamquam in angustissimo cecoq; carcere, in se totus conglobatus vinculis detinetur; & tunc temporis tum externarum, tum etiam internarum rerum, varijs iniurijs subiciatur, quibus infantes ipsi ante maturum partum quãdoque extinguuntur, & abortus sequitur. Qua de re vt ab ijs illesus præseruetur puer, & incolumis cum matre gerente ad partum ducatur, opusculum aliud primum in ordine edidi; in quo grauidarum regimen continetur, & etiam singulorum accidentium, quibus grauidæ ipsæ mulieres infestari solent, tum præseruatio tum curatio in eo traditur, vt ante partum etiam infans conseruetur, & ad partum feliciter accedat. Deinceps in ordine secundus tractatus iam dictus de obstetricali arte sequitur, in quo docetur quæ & qualis debeat esse obstetrix, & de eius officio recte administrando, vt à partu mulier illesa extricetur, & ex eo puer tutus emergat. Et quoniam postquam in lucem editus est puer, ex obstetricis manu in nutricis manibus delegatur, vbi vel lactis defectu, vel eius vitio, vel ob ipsarum inscitiam, vel

quia negligentes fuerint, non raro infantes periclitari solent; idcirco vt post partum etiam sanus præseruetur puer, tertium addidi tractatum, in quo de eiusdem preseruatione agere, per regimẽ nutricis, opereprecium esse duxi. Et tandem cum multis tentari morbis puerum post partum contingat, quorum non pauci ob ipsorum naturam, quę humido mersa censetur, vt mari salga originẽ ducunt, vt summus Hippocrates peruulgauit, alij verò ipsorum morbi à sanguine, quo in matris vtero alti fuere, ortum trahant, & à vitioso lacte pariter à nutricis vbere sumpto; alij verò ineuitabili naturæ præscripto à dentitione promoueantur, vt in gingiuarum perforatione ab ijs præcipue dentibus, qui canini dicũtur, ob id cum preseruationem puerorum docuerimus dum sani existunt, deinceps de quorundam morborum curatione ex Hippocrate cum ipsi ęgrotauerint, tractatum quartum in ordine adiungere, consilium mihi fuit, vt non modo in partu, sed ante partum quoque, necnon post partum donec caninos dentes emiserint, eorum sanitas absque vitio preseruetur, vel si forte morbo aliquo interim vt se-

pe

pe contingit ægrotauerint, artis præsidio, & Deo Opt. Max. fauente curari valeant. Accipe igitur Princeps Serenissima atque omniũ humanissima, opus tuæ Celsitudini dicatum, ex quo singuli ipsum legentes, in tui gratiam fructus carpere valeant. Tibi verò æque ac Serenissimo Magno Duci Serenissimoque Principi, & cæteris ex regia tui familia ipsemet auctor natura iam, & spõte totus se dicauit. Tuus igitur est Trunconius, tuique ex eo veluti ex trũco editi sunt fructus, qui si benigne abs te ex vsu colligẽtur, reuirescet quidem ille iam senescens, & in dies magis gratos tibi fructus edere, pro viribus conabitur. Et quamuis libelli munusculum paruum ex se sit, magnum profecto fiet si abs te fuerit hilari fronte receptum, & insigni tuo splendore illustratum.





AD CANDIDOS LECTORES.

IACOBVS TRVNCONIVS Auctor.





ON me latet candidiſsime lector, quod fortaſſe non deerunt, qui meam libelli huius editionem, tamquam vtile ac neceſſarium opus probent; ſicuti alij, qui prima facie legentes, eamdem improbent, ex eo quod non noua proferam, ſed quæ à plurimis huc vſque prodita fuerint, & ita ipſi ſuperflui vitium mihi impingant. Nec alij inſuper deerunt, vt deeſſe non ſolent, vbi recentiores de aliqua re pertractant, qui me hoc crimine culpent, quod operis huius lucubrationes meæ non ſint, ſed aliorum easq; ſuffurauerim. Duplici ſic crimine accuſatus ſi fuerim, à quolibet me excuſatum impunemq; fore oſtendere licet. Ad primum dicendum ſane

videtur

videtur quod nihil dici poßit, quod prius non dictum fuerit, vt apud omnes in confesso habetur. Scio etenim quod inter recentiores non desunt, quemadmodum, & non deerant ante illos, qui de regimine vtero gerentium, & qui de officio obstetricis, & partu, & qui de Infantium sanitate tuenda suis scriptis prodiderunt, sed illis sic responderi velim, quod quo magis à pluribus calcatur via, eò magis plana atque facilior redditur, & idcirco quãuis alij hæc ipsa pertractauerint, nihilominus opera hæc se inuicem consequentia nemo vnquam, quod sciam hac serie methodoq;, & breuitate huc vsque ni fallor, in albo posuit. Ad secundum autem quod hæc ex alieno agro suffurauerim, negare non possum, fateri debeo. Ex amplo namque ac fertilißimo antiquorum, atque maiorum agrò, vt Arist. Hippocratis, Galeni, Pauli, Aetij, Auicennæ, Haly abb. Celsi, Celij Aureliani, Oribasii, & cæterorum antiquorum præcepta suffuraui, à quibus omnis nostra scientia manare vnusquisque fatebitur. O vtinam, & ipsi sic suffurari didicerint, qui me hoc crimine impingunt, non aliam siquidem mærerentur penam quam à singulis laudari hominibus, sic namque medicam artem non ignorarent, sed antiquorum præceptis non obliti sed eis magnopere

pere

pere addicti artem ipsam callerent. A maioribus namque fontibus haurire præcepta, scientiæ perfectionem fore perpetuo ratus fui neque id ambigendum puto. Legere igitur non dedignentur non mea sed ipsorum antiquorum asserta à me verò recta serie, & methodo ac qua fieri potuit breuitate redacta. Nam quicunque vtero gerentis, vel nutricis regimen siue obstetricis officium exoptat, pro pueri conseruanda sanitate, præsenti hoc opere addiscere valebit, præterea quisquis presidia desiderabit, quibus grauidarum simptomatibus opem ferat, ac quibus pueriles morbi sanentur singula libellum hunc legendo venari plane valebit. Interim valete Lectores candidissimi nostri non immemores.



DOMINI PETRI ASIRELLII CARMEN.

Ad Lectorem.



ARTVS ante graues, in partu quæq; tueri
Post partum pueros discat honesta nurus.
Ex Trunco viridi medica quin arbore letos
Nunc mulier fructus colligat alma suos.

AD AVCTOREM

D. MICHAEL COLVMBVS.



XCELSOS tibi lucinæ Iunonis honores
Mandanti nitidis, Trunconi doctæ, papyris,
Assurgunt patres queis dulcia pignora curæ
Atque amor est chare sobolis studiumque nepotum.
Assurgunt itidem dulces experte hymenæos
Matronæ fætum, & partus quòd ferre labores
Perdiscant, cuncti per quos discerpier artus
Dura, & creduntur late ossa dehiscere hiatu.
Sed mage nascentum deuincta est turba, quod amplum

Pandis

Pandis iter dias ipsis in luminis oras,
Irrumpant facile, ut thalamos, & vincula soluant,
Et nati vegetam attingant longamque senectam
Omnibus erepti, qui membra tenella lacessunt
Atroces morbi, macies seniumque Philippi
Atque υδρωκεφαλὸσ *vastus capitis tumor, & qui*
Per totum informes erumpunt corpus achores,
Et papulæ turpi sanie crebroque fluentes
Et terræ subitò allidens επυληφὶα *corpus*
Motibus ac tremulis quatiens conuulsio membra,
Et teneris saniosæ herentes faucibus Aphtæ
Quique graui laniant, lumbrici viscera morsu.
Tonsillæ βατράχοσ*, singultus, nausea, Tussis*
Strumæ Intertrigo, vesicæ calculus, Alui
Profluuium, & geminos circum fœda hernia testes,
Σιριασισ*, Vomitus alia, & sexcenta malorum*
Portenta heu nimium teneris infesta puellis,
Quæ tua Trunconi hæc cunctos monumenta per annos
Victura ostendunt tuto remouere, parata
Vnde tibi æternùm tanta est iam gloria, nullis
Terrarum trifidiue coercita finibus orbis.



DOMINI
IOHANNIS BAPTISTAE
ADIVNCTII
BVRG.
AD LIBRVM.





Nnva *temperies sub verni temporis horã*
Arboribus praeest, alijsque orientibus herbis
Ast hominum generi, dũ cœpit ducere vitã:
Ne cita mors rapiat cunctantem in limine
fœtum;
Aut infantibns egregiam qui nouerit opem
Ferre, piamque pusillis demum extendere manum;
Te citra solum, omnium ò doctissime Liber,
Quis melior legitur? Sed ante vtinam editus esses.
Olim praeses diua puerperis habita Iuno
Te venientem fugisset; quin illico cedens
Sponte locum, & tibi (nunc quod fit) ius omne dedisset
Jncolumem seruandi natum, vteroque gerentem.
Eia age, rumpe moras, nil tandem veritus: Ecce
Parentum omne genus gaudens, prolesq; futura,
Praesidijs

Præsidijs munita tuis; tum stirpe superbi,
Seu quos maior alendi natos cura remordet,
Legibus, & ditione ampla, imperioque potentes;
Inuidorum compescent morsus, ac tibi vinctos
Compedibus seruari hostes; lacessere demum
Ni desinant, viuas vt lætus; properè dicent.



Errata maioris momenti ita corriges.

P.	L.	Err. Corr.
3	1	sua lege suam
6	16	lege chotilodines
7	16	exercitium adde paucum
9	12	mouere lege habere
26	24	perq; l. vel & adde vices
32	18	seruandi lege seruandum
41	7	abluant lege abluantur
41	17	dextero adde fiet vsu
41	18	lege ex quo in principio lineę.
51	20	fit lege, sic quælibet
52	19	occlusus lege occlusum
52	23	24. & 25. numeros positos sub nominatiuo ablatiuo legãtur vt 15.7. & 6
54	18	comercia lege comercio
58	21	22. lege 21
80	10	vterum lege utero
91	2	ignorare lege ignores
109	4	lege exardesceret ni
115	5	lege sed cum
116	23	infantem lege infantis
122	10	Exrepente leg. expetente
123	25	quoniam lege quando
126	12	autem lege item
127	10	resũmant l. resũmantur
123	27	similiter lege similem
134	19	lege meliusque degere
141	14	habent lege habet
142	21	tepefacta adde sũmantur
150	13	extepente lege expetẽte
161	17	ad nares lege ad aures
164	24	quam lege quæ
175	9	proximo lege paroxismo
184	4	analogiam l analogismũ
185	17	lege imitator curet
188	29	primo lege proprio
202	13	infans caninos lege infanti canini
203	8	si reuiscet lege reuirescet
205	17	compositi lege consopiti
208	7	excretricibus l. excretis
220	14	comitiali l. in cõpositione
225	4	in lege nĩ
238	3	humectandi lege exiccãdĩ




IACOBI TRVNCONII MEDICI AC PHILOSOPHI

Tractatus Primus.

De conseruanda sanitate grauidarum, ipsarumq; gestati fœtus, ac de præseruatione aborsus.

Quæ & qualis materia sit pro conseruanda sanitate seligenda, & vbi vsurpanda.

CAPVT PRIMVM.



TERO gerentibus tum ipsarum sanitatis, tum fœtus quẽ in vtero gerunt conseruatio nec nõ ab earum aborsu, præseruatio debetur. Et quoniam dum vtero gerunt accidentia quædam ipsis velut familiaria haud raro contingunt, eorundem correctio pariter exigitur; vt amborum sanitas vsque in parturitionis tempus incolumis seruetur, quæ partes conseruandi videlicet, atque corrigẽdi sub ipsamet custodiendi arte iure merito contineri debent Gal. auctore lib. 6. de sanitate tuẽda. Supposito igitur qđ sanitas quæ cõseruari debet, simmetria quędam sit ex quatuor qualitatibus emanãs subiecto corpori cõueniẽs circa similares partes: in instrumẽtalibus uero simmetria ex ipsarũ similariũ cõpositio-

ne, numero, magnitudine, & figura cõſiſtat Gal. auct. 1. de ſanitate tuẽda ca. 1. & quiſquis hæc cõmode tueri valeat, is optimus ſanitatis cuſtos erit: Galenus ſubdit citato loco. Et qm̃ cuſtodiẽdæ cuiuſlibet ſanitatis ſtudiũ circa tria hęc prima genera verſari debet, atq; medẽdi methodus, corporibus videlicet, cauſis, & ſignis, vt Galenus inquit citato lib. cap. 15. corporibus quidem, vt ipſe inquit, ijſque & ſana iam ſunt, & eo ſtatu ſeruari debent. Signis vero quæ ipſis accidunt, ex quibus corpora ipſa dignoſcuntur. Cauſis autem, ex quibus cuſtodia ſanitatis perficitur. Supponamus igitur vtero gerentis corpus cuius conſeruationem intendimus ſanum eſſe ex eius actionibus dignoſci, & idcirco eius ſanitatẽ, & geſtati pariter in vtero fœtus conſeruandam eſſe, vt eſt pręſentis negocij inſtitutum. Reliquum itaque eſt, vt cauſarum ſalubrium, atque ſanitatem conſeruantium materia ſeligẽda ſit, vbi autem materia hæc ſalubris pro conſeruanda ſanitate vſurpanda ſit, Galenus docuit in ſuo libello ad Traſibulum cap. 18. vbi inquit; conſeruans ſanitatem continetur in illis quibus velimus nolimus corpus noſtrum vtitur, & eorum illis quæ iuuare, & officere valeant: in ijs & circa hæc tuendæ ſanitatis artem verſari arbitramur. Ipſæ autem ſunt res non naturales dictæ, vt Galenus aſſeuerauit in arte medica cap. 85. & idcirco à ſex fontibus qui eas ſcaturiunt petendæ fuerint. Verum quoniam iam dicta genera, materia quædam ſunt inſalubrium cauſarum, at vſu opportuno adhibito cauſæ fiunt conſeruatrices, atque

ſalubres,

ſalubres, idcirco ab vnoquoque fonte ſua cauſarum materia qualis, quantũ, quando, & quo modo oportet ſeligere licebit: nam ſi à modo deliquerint, in ſalubres redduntur. Galenus inquit in ſuo de arte medica cap. 85. Fontes igitur adire, & ad cauſarum idoneam materiam ſeligendam, & reliquas reſpuendas, iam nos accingi tempeſtiuum videtur.

FONS PRIMVS.



RIMVM fontem iam aggreſſi, qui acrem ſpirat ab ipſo aerem ſeligemus ad temperatum, & qui non admodum frigidus, vel calidus, immunisq; ab imbribus & ventis exiſtat; vitandus quoque erit auſtrinus, vt monuit Hippocrates lib. ſuo 3. aph. 12. in ipſa conſti tutione ſiquidem ex leui occaſione grauidæ mulieres abortiunt. Vitandus quoque eſt Septentrionalis ventus, vt qui deſtillationes promouere valeat exprimendo, & ſubinde tuſſes quæ moleſtæ admodum grauidis mulieribus eſſe ſolẽt & abortum promouere, vt monet princeps ille Auicenn. lib. 3. fęn. 21. tr. 2. c. 2. Aer quoque vitandus eſt prauum tetrumq; odorẽ ſpirans, huiuſmodi namq; praui odores cum aere per inſpirationem attracti, abortiẽdi occaſionem non raro afferunt, & cæterorum prauorũ morborum authores ſæpius fuere, quemadmodum vbi lucernæ extinctæ fuerint 8. de hiſt. animaliũ cap. 24. Vitabitur igitur externus noxiusq; aer, & prout decet ad libitumq; parabitur ab vtero gerentibus, in

ædibus se continendo, & iucundis, suauibusq; odoribus eiusdem aeris prauitatem emendando, & quoad poterunt prauitatis causas abijciendo: & hæc de aere.

FONS SECVNDVS.


ECVNDVS fons deinceps petendus erit, qui ea scaturit, & fundit, quæ per os in cibo, & potu sumuntur, & ab ipso ea haurienda sunt, quæ coctu faciliora sint, boniq; succi sint, & elegãter alant. Sint quoque in primis suis qualitatibus contemperata qualitate prædita, & in passiuis ad siccum moderatè, ac modicè vergant. Vitanda itaque erunt alimenta immoderatè calida, vel frigida, ac immodicè humectantia, ipsorumq; vitandus erit immoderatus, atque intempestiuus vsus: & præcipue in primis mensibus, vbi non repurgata menstrua à fœtu adhuc non vincuntur; & idcirco redundant in venis, & picam pariunt. Panis igitur sit ex nitido puroq; frumẽto, & optima farina, probeq; fermentatus, & decẽter coctus, carnes sint ex laudabilioribus, vt pulli, vel capi, columborum paruorum, turturum, fasianorũ, & auicularum mõtanarum, & inter quadrupedes caro ædi, veruecis, paruorum vitulorum, & similium. Comedat etiam oua recentia tremula, & fercula ex ipsis cum pane cõfecta, & cum succo agrestæ, vel limonum, vel aranciorum condita. Inter legumina conceduntur lentes abiecta prima aqua in ipsis incoquẽdis, oriza, & ordei farina. Inter olera, & pro acetarijs

conce-

conceduntur lactuca, endiuia, borrago, & oxallida. Inter pomaceos fructus conceduntur pira, citonia, & granata; abstineāt autem ab amaris omnibus, & acutis edullijs in quorum numero Auic. enumerauit capares, lupinos, & acerbas oliuas; Vitare quoque debent edullium quodlibet menses prouocare valens, in quorum numero ab Auic. reccensentur faseoli, cicer, & sisamum, cum quibus adnumerari quoque debent singula diuretica, & quæ aperiendi venas, vel quæ ciendi aluum vim aliquam habeāt, cibaria quoque flatuosa summopere cauenda erunt. Et si inter ea quæ minus conceduntur aliquod grauida inspexerit, & inspiciendo flaganter exoptaret (vt illis contingere solet) ne ipsius ita vehemēter exoptati edullij caracter imprimatur in infante, ob cuius maculām deturpari valeat, modica eius quātitate grauidæ desiderium expleri poterit. Potus vero in prandio & cena & hora qua aliquid pro cibo sumpserit vinum sit gustui gratum, & odorum, & colore rubrum. Eiusmodi vina namque magis à me probantur pro grauidarum vsu, quàm vina alba cum ob ipsorū sub adstringentē facultatem, qua prędita sunt ventriculum, & cęteras inde naturales partes magis roborent, alba vero potius laxēt, nam si paucifera ea fuerint, diuretica nimium erunt, & flatus progignentia; si verò ex genero sis fuerint caput magis tentant, ac replent. Hác fuisse Hippocratis sententiam Auic. ostendit lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 2. per hæc verba inquiens. Et Hip. quidē dixit sumat in potu vinum nigrum & quæ sequun-

tur. At in locis vbi rubra vel nigra hæc non ſunt in vſu, vino albo vel fuluo vti poterunt, vt extabit conſuetudo modo ſit decenter linfatum & eius ſit moderatus vſus.

FONS TERTIVS.


OMNVS ab hoc fonte, nec nõ vigilia, & vtrumque tanquam ſalubris cauſa eo quo decet moderamine capiẽdum erit. In nocte tantum igitur atque in mane prout earum cõſuetudo extabit grauidæ mulieres ſomnum conciliare debent: Somnum vitent meridianum & ab aſſumpto cibo. Vigilia vero eis procuranda eſt in meridie, atque in mane ſecundum conſuetudinem & id magis in primis menſibus vbi corpus à nimia humectatione præſeruari expedit; alioquin præ nimia humiditate vteri ligamẽta laxantur, & pro pondere cothirodines diſrũpuntur, & abortus inducitur, quemmadmodũ Hipp. 5. aph. 45. atteſtatur.

FONS QVARTVS.


OTVS & quietis tum quantitas, tum qualitas nec non congruum vtriuſque vſus pro ſanitate ſeruanda tum fœtus, tum vtero gerentis inter ſalubres cauſas ſeligenda ſunt. Motus igitur vel exercitium debet eſſe moderatum, immoderatum ſiquidem

quidem vteri acetabula diſſoluit per quæ fœtus alimentum recipit. Vnde princeps Auicennas hoc monens inquit; Occupentur exercitijs temperatis, & deambulatione tenui abſque ſuperfluo, ſuperflua enim abortiri facit; deinceps cauſam reddit inquiens, & illud ideo quoniam ipſæ replentur propter illud, quod accidit eis de retentione menſtruorum. Hoc ſimiliter expreſſit Raſis continente 22. nec non Aetius ſermone ſuo 16. ca. 12. inquiens, prohibendæ etiam geſtationes in curribus & violenta exerçitia. Immoderata ea exercitia cauenda præcipue ſunt in primis tribus menſibus, nam ſicuti ex arboribus iam efflo-reſcentibus ex leui quocunque motu flores decidũt, ita fœtui ab acetabulis & cothilodinibus primis mẽſibus diſſolui ob immoderatos motus contingit. Primis igitur menſibus grauidarum exercitium eſſe debet; & hæc de quantitate. Exercitij qualitas primis dictis menſibus cum leui motu, & non abſque ingẽti cautela eſſe debet. Si verò ex ijs vtero gerentes ſint quæ ſublimioris ſunt fortunæ, & ex magnatibus extiterint, exercitiũ ſit in ſella à peritis hominibus, & omni cum dexteritate tranſportata, vt alias Sereniſſima Magna Duciſſa conſueuit. Cæteræ vero leui deambulatione vtantur & breue ſit ipſarum iter, & ſi pedibus extra domum progredi non valeant lecticarum vehiculo vtantur. Tempus vero exercitij tunc eſſe debet cum ipſarum ſtomacus ieiunus fuerit ante prandium, vel ante cœnam. Quies autem an primis menſibus potius imperanda ſit vtero gerentibus quã

exercitium, videtur quod sic, si præsertim considere-
mus quòd tunc temporis acetabula humido excre-
mento magis repleri solent, quo subinde repleta per
motum laxari, nec non disrūpi possunt, quod in quie
te minus contingere solet. Respōderi sic debet, quòd
vteri acetabula humido excremētitio tunc temporis
plena magis sunt, quā in reliquis gestationis tempo-
ribus, & idcirco moderatum magis leueq; exercitium
eis instituitur, vt aborsus præcaueatur: & hoc nō abs-
que ratione, quandoquidem quæ grauidæ ociosam
sedentariamq; vitam degunt ijs calor imbecillior red
ditur, & cruda excrementa magis aceruant, quæ dein
ceps recrementa ab vniuerso corpore in publicā vte-
ri sentinam delapsa, vt singulo mense consueuerant
acetabula replent, quæ postea præ pondere disrum-
puntur, & aborsum pariunt, vt Hipp. monuit in suo
5. apho. 45. & sic per intempestiuam quietem abor-
tiendi adaugetur causa, & id illis præcipue grauidis cō
tingit, quæ exercitio assuetæ prius fuerint. Vnde hoc
rimatus philosophorum Princeps in suo 2. politico-
rum cap. 16. sic monens inquit; prægnantes quoque
mulieres curam habere corporum oportet nō pigre-
scentes, & iter quoddam facere debere ad Deorum sa
cra, vt quæ sortitæ sint concipiendi honorē. Quies
igitur adsit in nocte, & in mane vsque in assuetā ho-
ram, & præcipue ab assumpto cibo, & quoties graui-
da ipsa eius corpus labore fatigari senserit. Quarto
vero, & quinto, nec non sexto mense quemmadmo-
dum fructus iam editi, sed acerbiores adhuc existētes
tenaciter

tenaciter in arbore continentur, ita & fœtus tunc tẽporis iã efformatus, & firmior effectus, & fortiora sui ligamenta euaserint, tutius tunc temporis exercitium fuerit. Septimo autem, & octauo mense quemmadmodum poma matura cum fuerint ex leui quocunque motu ex arbore decidunt, & sic infantes iam grandiores effecti vterum magis grauant, acetabulaq; simul, ac ligamenta suo pondere fatigant ac laxant, vt ex quopiam inde motu moderamen excedente, acetabula ipsa dissolui valeant, & aborsum excitare: nam fœtus ad vterum connexum, & eãdem mouere proportionem quam fructuum cõnexus habent ad plãtas Gal. voluit lib. 4. aph. comm. 1. & Auicen. lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 10. Hoc tempore igitur leuiori motu, & exercitio est vtẽdum, & caute magis, ab immoderatis vero summopere cauẽdum erit; quies enim dictis mẽsibus exercitio præualere debet. Nonum autem cum iam attigerit mensem tutius se exercere paulatim poterit, ac suauiter se balneare si balneo assueta fuerit. Cum vero parturitionis tempus iam proximum fuerit, frequentius, & libere magis se exercere poterit, modò motus singulos, quibus in vtero infans distorqueri posset magnopere caueãt. Coitus autem in primis quatuor mẽsibus euitari debet, necnon in septimo, & octauo, in nono vero sicut in sexto cum moderamine, & non absque cautela vti poterit.



FONS

FONS QVINTVS.



B hoc fonte ea quæ euacuanda ſunt, necnon quæ retinenda elicimus. Aluus quotidie exoneranda erit, & ſi ſua ſponte non egerat ea quæ ventrem lubricant, vel quæ ciunt ſeligenda fuerint, vti ſunt pruna damaſcena iuſculo galinacco incocta, & zaccaro condita ante alium cibum ſumpta poſteaq; iuſculi illius hauſtulum ſuperpotabit, & hoc in principio prandij vel cenæ vti debet, vel ſimili modo coryntiadis paſſulis vtatur, & ſi hæc non ſufficiāt leui balano vti poterunt, vt ex Zaccharo cocto, ex ſapone, ex melle & ſale, vel ſpeciebus ieræ ſimplicis paratis, & cæteris eiuſmodi; quòd ſi hæc etiam minime ſufficiant leui aliquo enemate vti poterunt, vt ex iure Veruecis fœniculo, vel aniſis in ipſo incoctis, & cum oleo violaceo, ac etiam cherini portiuncula, & Zaccaro ſaleq; ſimul mixtis enema infundi poterit, cum cautela tamē, ne in adminiſtrādo ipſum flatuoſitatem ventumq; recipiat. Retinenda ſunt quæ ex aluo nimium fluerent, vtero gerenti namque ſi aluus plurimum fluat periculum eſt ne abortiat Hip. inquit 5. apho. 34. Quo pacto vero ſi plurimum aluus fluat reprimendus ſit ſuo loco dicetur: Præterea cum retinendi ſint menſes in toto geſtationis tempore cauēdum vnicè eſt ab ijs, quę ipſos ciere vel prouocare valent. Si namque vtero gerenti purgationes eant im-


poſſibile

possibile est fœtum esse sanum, vt magnus Hipp. peruulgauit in suo 5. aph. 60. Cibus quoq; iã sumptus retinẽdus est, & si vomitibus (vt grauidis contingit) reijciatur, quo pacto retineri debeat suo loco dicetur.

FONS SEXTVS.



Ebet grauida præsertim mulier ab hoc fonte trahere quę animo suo hilaritatem afferant, respuere vero quę mẽtem ipsam returbare valeãt, & ab eius tranquillitate arcere animum, quemmadmodum Arist. monuit in suo 7. polith. cap. 16. inquiens mens tamen contra quam corpus est in trãquillitate traducenda. Aetius similiter hoc monuit sermone 16. cap. 12. inquiens. Prægnantes quæ recens cõcœperunt à timore tristitia, ac omni forti mẽtis perturbatione afferuandæ sunt. Auic. etiam lib. 3. fen. 21. & non superfluat eis quod faciat tristari, & timere. Euitare debent igitur animi curas, & quæ molestiam eis afferre valeant, & hilares existentes de bono fœliciq; suæ gestationis euentu continuo sperent, & prouidæ sagacisq; naturæ beneficio, Deo summo opifice fauente donec suum ediderint partum confidere nunquam desistat.



Præseruatio

Præseruatio simulatque curatio additur quorundam simptomatum quæ grauidas mulieres exercere solent.

CAPVT PRIMVM.



OLENT grauidæ mulieres, & precipue in primis tribus mensibus, ac etiã non nullis in quarto mense aliquibus simptomatibus infestari; quæ singula ferè ab vna tantum causa originem ducũt, videlicet à non repurgatis mensibus, & ab ipso fœtu adhuc non euictis, sed in venis, & præcipue circa uẽtriculum regurgitantibus, vti est pica, pedum tumor, ventriculi fluctuatio, sputa crebra, stomaci mordicus dolor, cibi fastidium, Hæc reccensentur à Paulo Aegineta lib. 1. cap. 1. Vltra hæc quoque consequuntur ventris rugitus cum dolore, alui fluxus, renum, & lũborum dolor. Non alienum igitur fuerit (Paulus ipse inquit) præsidia quibus ab eis vindicetur vter gerens in medium afferre, & primo à Pica exordiamur.

De picacei affectus curatione quo sæpius grauidæ mulieres infestari solent.

CAPVT SECVNDVM.

GRAVIDAE mulieres primo ferè, vel secundo mense hoc affectu infestari solẽt, & ab eodem

vsque

vſque in quartum menſem exerceri; In quarto menſe autem partim à fœtu ſanguine menſtruo alimento dum increſcit largius abſumpto, partimq́; concocto, & partim à muliere vomitu euacuato affectus ipſe ſedari, ac penitus aboleri ſolet. Ab aue diuerſicoloris affectus pica dicitur, & eſt ſimptoma in genere noxę functionis appetendi, tum diminutæ, tum etiam deprauatæ leſæ: appetunt namque tũc mulieres terram cymoliam, extinctos carbones, gipſum, & ſimilia, & cibos boni ſucci auuerſantur, & ipſorum pauca eſt appetentia. Vt ſic appetendi facultas diminute ſuo fungatur munere cauſa eſt, diminuta ſuctus actio. Plenè ſuctus vti deberet, non fit, quia non adeſt venarum inanitio, & indigentia; at repletio licet non benigni alimenti, ſed prauorum humorum ex redundantibus menſtruis, quorum praua qualitas eſt deprauatæ ſic appetentię cauſa. Quantitas vero, vt diminuta ſit, & parum appetat, quæ appetenda eſſent. Etenim per eorundem menſium confluxum in uentriculum eorum praua qualitate oris uentriculi intemperantia fit, quantitate autem venarum ad ventriculum pertingẽtium fit repletio; & hæc de proximis affectus cauſis. Antecedens verò ipſius affectus cauſa redundantia eſt retentorum menſium embrione ſuæ conceptionis initio, parum de ipſo pro alimento abſumente, ſed in ventriculi venas regurgitans. Procreantes ipſum cauſæ ſunt naturalia membra; mandans vero ad ipſum vterum, vniuerſum corpus exiſtit: Hæc de dignotione. Audacter prædicendum

eſt

est quod si affectus alius non complicetur ab eiusmodi picaceo affectu liberabitur mulier, de tempore ubi quartum mensem grauidationis attigerit prędici poterit: de modo autem, ipsa fœtus nutritione, naturæ opere, & artis præsidio. In curatione in primis prouidendum est, ne praua amplius recrementa progignantur, & erit potius præseruatio, quæ fiet sic, si grauida mulier probe alatur, & est primum opus, cuius gratia cætera perfici debent, alimenti siquidem duplex est ratio Aristotele auctore lib. 2. de generatione animalium, altera videlicet nutriendi, augendi alia. Sed vt eiusmodi opus facilius pręstari valeat, quę modo vitiata est appetentia ad naturam suam, & absque vitio omni ingenio interim est restituēda, restituetur vero naturalis ciborum boni succi appetentia, si quæ in ventriculo & eius ore vitiosa redundant excrementa ab ipso & eius ore remoueantur, & iam affluxa, & effluxura inhibeantur, ne ad ipsum amplius tendant. Inhibebitur autem effluxus in vētriculum, dum puer increscens sanguinis ipsius partem pro nutrimento absumet, partem vero aliam in membranis amnion videlicet, & allanthoidem dictis natura recondet. Interim igitur cogenda est vtero gerens, vt alendi scopū perficiat cibis boni succi, & qui leui negotio concoquantur sic namque augebitur infans, & eius robur, & iam vitiosum genitum sanguinem citius euincet. Dum primum iam dictum scopum perficere studebimus, secundus pariter respiciendus erit, vt videlicet quæ redundabit vitiosa materia à ventriculo euacuetur.

tur. Euacuatio autem vniuersalis cum per pharmaca ab vtero gerentibus non tolleretur, ea omittenda & particularis est seligenda, quæ videlicet à ventriculo fit per uomitum qui sic (vt grauidis contingere solet) sponte fiat, leniter potius prosequendus, quam sistendos erit, vt Aetius sermone 16. cap. 10. de pica scriptum reliquit. Si sponte igitur adsit vomitus vitiosorum humorum sinendus est, sin minus aqua tepẽte vel melicrato pauci aceti addito, si humores fuerint crassiores, vel aqua ipsa tepẽte cum oximelite vomitus proritari poterit, modò nimia ventriculi & inferioris ventris agitatio, & concussio vitetur, sic namque euacuandi scopo satisfacere ualebimus. Vt uerò uentriculi facultates, coctrix uidelicet exactius cõcoquat, & contentrix quod continendum est cõplectatur, atque retineat, excretrix uero quod noxium est facilius expellat, & appetitrix probe appetat, hoc duplici fieri poterit instrumento. Primum assumendorum fonte scelectum, & erit condecẽs affectui alimentorum usus. Secundum uero ab his quæ extrinsecus fiunt, uel administrantur, uel erit uentriculi illinitio, uel ceratum ipsi uentriculo applicandum, necnon cum aliquibus per os sumptis. Quæ alimenta uel cibi seligendi sint iam dictum est, quod boni succi, coctuq; faciles esse debeant. Sed cum grauidæ cibos auersentur, & absurda potius appetant, obsoniorum uarietate, & iucunditate sunt alliciendæ. Conferunt igitur ad appetitum bonorum ciborum excitãdum oliuæ muria conditę, & pira, uel mala citonia

malaq; pumica, ac pira singula quæ gustui earum iucunditatem afferant, sed assata magis, quàm cruda poma hæc erunt eis concedenda, uel quocunque alio modo cum cæteris edullijs parata, pro condimendo concedi poterunt. Carnes animalium sint non pingues: laudabiliores erunt montanarum auium assatę magis, quam elixæ, & aranciorum, uel limonum succo, uel agresta, uel aceto conditæ. Laudantur quoque pisciculi saxatiles assati, & aceto, uel iam dictis alijs succis conspersi. Et si appeterent caseum, laudat ipsum Auic. in proprio capite de appetitu prægnantium si assetur super prunas, donec exsiccetur quod humidum in ipso reperitur, quoniam excitat appetitum. Inter cætera edullia, quæ appetitum excitant Auic. amilum cum sale laudat, de quo Paulus Aegineta inquit in suo 1.lib.cap.1. quod præ cæteris amilum siccum ualet ijs quæ terram, & lutum appetunt; Aetius uero inquit quod amilum recens iuuat eis, uice terrę appetitę oblatum: Et Oribasius idem siccum similiter celebrauit. Auicennas nec non laudauit citato loco sinapin, de quo inquit: Ipsum enim abscindit humorem malum, & excitat appetitum, & est ultimum in reducendo ipsum: Paulus quoque Aegineta sinapim laudauit citato nuper loco, & etiam Oribasius lib.5.cap.proprio. Poterit quoque uti cum musto, uel sapa prout consuetudo extat. Inter olera cicoreum, & portulaca ab autoribus celebrantur: inter species aromaticas piper, & gariofilli; inter cætera iuuantia sunt eis moderato usu concedenda & hæc de

esca

eſca, quæ grauidis concedi poterit ut appetentia exci tetur, & cæteros boni ſucci ſimul grauidæ ipſę ueſcãtur. Potus autem uinum eſſe ſubrubrum debet limpidum, & odorum pro conſuetudineq; linfatum: ſi uero rubrum reſpuant, & album appetant eis concedatur modo ſit ſubadſtringenti qualitate præditum. Potus ſit moderatus & cibi quãtitatem non excedat ne fluctuet in uentriculo, & ſi qua eſt exundatio iam facta ſedetur. Si quis autem plura ad id conferentia edullia uenari exoptat, clariſſimum Celium Aurelianum inſpiciat in ſuo lib. 3. tardarum paſſionum cap. 2. & hæc de primo inſtrumento. Aliud roborandi inſtrumentum à fonte eorum quæ per os ſumuntur, ut hoc uidelicet.


Rec. amili puriſſimi dr. 1.
Synapis ſcr. s.
Gariofilorum ſcr. 1.
Zaccari diſſoluti in aqua roſarum & mẽtæ unc. 1.
Miſce fiant tabellę de quibus utatur in mane, & hauſtulum uini ſuperbibat.

Vti quoque hoc pręſidio ualebunt quoties comedẽdi lutum, uel terram eis deſiderium aderit. Ab eo fonte uero qui fundit ea quæ extrinſecus occurrunt uel admouentur cataplaſma ſeligerem quale eſt quod ab Aetio, & Paulo, nec non ab Oribaſio celebratur uidelicet ex Enante, balauſtio, roſis, galla, cumino, cythiſi, ex ſmirnij coma, fœniculi ſemine, uel, etiã palmulis uino incoctis, & ſimul admiſtis. Et ſi fortaſſe ſuſpectum habeatur ſmirnium de quo Dioſcorides in-

quit, quod si smirnium incoquatur, & mulieri puden do approximetur abortum inducit: licet ventriculo sit applicandũ, minime pudendo: nihilominus omitti poterit. Non minus laudarem ad hunc usum ceratum ab eodem Aetio pręscriptũ ex malis cotoneis cum posca tritis, & leuigatis addito croco & nardino cerato excepta. poterit quoque hoc linimento ventriculus illiniri, & loco emplastri uel cerati, ipso uti uidelicet.

Rec. olei nardini
olei citoniorum } an. unc. s.
pulueris gariofillorum
masticis } an. scr. s.
croci gr. iiij.
cerę & aceti parum.

Misce fiat unguentum mediocris cõsistentię, cum quo stomacus illinatur semel in die, & antequam denuo illinatur inunctum quod fuerit, uino maluatico, uel aqua uitis cotone prius intincto, eoq; tepente detergatur, quo deterso denuo inũgatur, & sic prosequẽdo singulo mane, uel ut usus exposcet roborandi scopo satisfacere ualebimus; & Deo fauente picaceus curabitur affectus, & inapetentię, & uomitus crebręq; expuitiones, & uentriculi fluctuatio, uel demorsus sedabuntur, & post tertium mensem plenè curabuntur.



De

De pedum tumore grauidarum.

CAPVT TERTIVM.



ON raro ſolet tumor ędematoſus grauidarum pedes exercere. Iſtius affectus cauſam peruestigare in pręgnantibus haud difficile fuerit, quandoquidē proxima cauſa crura, & pedes in tumorem attollens ex tumoris qualitate, & differentia viſu tactuq; pręcipue diſcernitur, ſi namque ad tactum cedat, & indolēs ſit iam ędema eſſe, & pituitam ſubeſſe uel craſſum uaporem in tumeſcentibus partibus decumbentem planè conſtabit. Humor hic uel craſſus uapor à ſuperioribus robuſtioribusq; partibus tāquam inutile, ac noxiū ad infimas atque imbecilliores facile propellitur, & eò facilius cum craſſo ipſi humori ſuapte natura facilis ſit, proprio grauium motu inferius deſcenſus. Humor hic uel uapor à praua illa crudioriq; colluuie mēſtrui ſanguinis ſecernitur, qui ab ipſo cōceptu ne deſtruatur fœtus à natura retinetur, & idcirco cum per uteri cloacam ab eo ſe exonerari natura amplius non ualeat, ſed ab utero ad hepar, atque in uentriculum ex uniuerſo corpore redūdet in dies quoque, tum à prauo hoc ſanguine, tum etiam ab inſuetis atque abſurdis pro cibo, à grauida muliere ingeſtis, uel paucitate nutrimenti ob earum imminutam appetentiam fit, ut in grauidis ipſis mu-

lieribus, tum uentriculi, tum etiam hepatis calor atteratur, & utriusque membri temperamenti simmetria aliqualiter perfringatur, & sic utriusque coctio imminuatur, & plura in dies crudiora recrementa gignantur, quæ subinde tanquam superuacanea, & naturæ ipsi grauia ad ipsas partes propulsentur: & iam antecedentem causam attigimus. Proximę illius quę subiacet causæ ex tumoris qualitate, & differentia indicium se præbet. Proinde si sero, & mane idem fere perstiterit tumor qui ad tactum cedat, & pressa cute lente redeat, pituitosi humoris materiam subesse indicabitur. Verum si in sero auctus, & in mane magna ex parte tumor delituerit, & quod digito cōprimitur citius redeat, uaporis crassioris partem attollētis indicium fuerit. In curatione sanè tollenda causa est, quæ partes in tumorem attollit: at cum proxima hæc causa discuti, uel ad unguem amoueri nō ualeat nisi antecedentis effluxus inhibeatur, inhiberi autem minime ualeat ni quod in uētriculo, & hepate, atque in uniuerso corpore redundat excrementum ab ipsis partibus dematur, id autem usque in quartum mensem assequi minime ualeat auctore Gal. 1. de simp. causis cap. 7. & Aetius serm. 16. cap. 10. & Auicen. lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 10. idcirco si dolor aliquis non urgeat, uel si deambulatio, & progressiuus motus nō multum impediatur, nec de aliquo ulcere suspicetur, aliud negotium facessere medico non licebit præter institutam probam uictus rationem quandoquidem hac seruata, quemadmodum de picaceo affectu est dictum

ctum quarto menſe hic ut ille perſanabitur affectus; & ſi nihilominus in aliquibus contingere poteſt, ut uſque in partum ob uitam ſedentariam, & ob geſtati pueri degrauationem, ut tumor eas partes occupet, & idcirco ſi tumor nimiũ mulierem grauaret, nimiũq; occuparetur uel ab humore, uel craſſo uapore ſubſiſtente in utroque caſu opem ferre medicus debet, & ratione urgentis extra methodum illegitima curatione uti ei licebit. Quid pro curatione agendũ ſit Paulus Aegineta, Aetius, Capadocius, Oribaſius, nec nõ Auic. citatis locis unanimiter oſtendunt. Paulus ſic inquit.

Rec. Antillidis q. s. aceto leuigetur, & tumeſcentibus partibus applicetur.

Item folia braſſicæ q.ſuf. in latum extendantur, & deſuper ligentur.

Item ſic terræ cimoleæ ex aceto roſaceo miſtæ q. ſuf. & partes affectæ illinantur. Vel ſic

Rec. aceti opt. unc.iiij.
alluminis dr.ij. ſimul calentibus crura illinantur, & leuiter perfricentur. Vel ſic

Rec. mala citria q. ſuf. decoquãtur in aqua ſimplici, vel quod magis mihi arrideret in aqua Tetuciana, vel balneoli vbi Termales ipſæ aquæ aderunt, & cum hoc decocto crura, & pedes abluantur: ſingula hæc ſunt à prædictis authoribus cõprobata. Poterit quoque ad eundem vſum hac alia lotione vti.

Rec. florum vel foliorum ſaluiæ m. ij.
Roſarum m.iij.

Lauandulæ m. j.

Citini flores unc.ij.

Lixiuij dulcis ex cinere ſarmentorum vitis lib. xij. Addito aceti parum ferueant ſimul ad tertias cõſumptionem, demum percoletur, & cũ eiuſmodi lixiuio crura, & pedes ſingulo mane ante prādium, vel in ſero ante cœnam abluantur, & calido linteamine exſiccentur, & quouſque opus fuerit proſequantur præmiſſo interim debito victus regimine, vt de picaceo affectu fuit dictum.

De Vomitu.

CAPVT QVARTVM.



VOMITVS eſt excretricis facultatis ventriculi naturalis motus, quo ipſum cõtriſtans ſurſum impetu reijcitur. Quod autem naturæ eiuſmodi opus ſit Gal. oſtẽdit lib. 2. de ſimpt. cauſis cap. 3. vbi inter cætera id atteſtãtia inquit. Etenim vomitu quidem ſic mouetur vẽtriculus ſicut in partu vterus, & paulo infra inquit. Nẽpe quod eiuſmodi motus naturę quidem opera ſunt, ſed tamẽ propter cauſas, quæ naturã moueri ſic cogũt ſimptomatis quæ præter naturã ſunt adnumerantur. Comparatum namque à natura eſt, vt ventriculus poſt aſſumptos cibos os ſuum inferius claudat, nec nihil abire ſinat prius quam planè ſit concoctus videlicet cibus,

non

non ſecus ac grauidarum mulierum uteris contingit, qui tum fœtus grauitatem, tum ſui diſtenſionem nouem menſibus pertulerũt, atque hoc tempore ad vnguem ita toto conniuente ore fuerunt, vt ne ſtili quidem mucronẽ reciperet, donec in ipſis fœtus abſoluatur: tunc namque ad eius expulſionem præparat ſe, & collum quod prius ſe cõſtrinxerat tantum aperitur, quantũ fœtui facilis præſtetur exitus; ſic namq; grauidarum vtero ventriculum cibum continentem comparauit in ſuo lib.2. de ſimp.cauſis ca.3. vt in ſequentibus etiam liquido conſtat. Veruntamen ſi interim actionem hanc continẽdi aliquid intermittere ventriculum cogat, quemmadmodum vbi fœtus corruptela vterum cogit, vbi totis viribus adnexus arctiſſime ſe cõtrahit, quo corruptum fœtum excludat, ita ventriculus à re infeſtante laceſſitus eius retracto, compreſſoq; fundo quicquid ei ad noxium eſt excutiens ſurſum vomitione reijcit Gal. inquiebat citato loco. Quæ modo ſit cauſa, vt grauida mulier cibum non contineat, ſed vomitu ipſum reijciat, vtique vel cibi, vel inſtrumenti, vel facultatis vſusq; vitio id cõtingere eſt dubio procul aſſerendum. Ciborum vitio cõtinget, ſi ipſi praui ſint ſucci, vel vitioſa aliqua qualitate præditi, vel ſi ſumenti ingrati fuerint, eosq; idcirco mulier aborreat, vel ſi praui non fuerint, immoderate tamen ſumpti virtutem ipſam ſint ſua mole grauantes. Inſtrumenti autem ſi ventriculus intẽperantior fuerit redditus, vel ſi vitioſo humore menſtruo retento ſanguine, vel prauis eius vaporibus vẽ-

triculus, & eius os scatuerit quibus permixtus iam sumptus cibus eandem prauam, corruptamq; qualitatem acquirat. Vsus vitiosus erit, si cibi quantitatem nimius potus excedat, ita vt cibus in capacitate fluctuet, neque complectatur, vti deberet à cōtentrice contineri non valens. Facultatis vero vitium est virium dissolutionis vitium, ex quo neque amplexari, neque cōtineri cibum valeat, quod dignoscitur si cibus purus, & nullo vitioso humore permixtus reijciatur. Imbecillitas hæc, uel ab intemperie plerunque humida, uel alia, uel quocunque modo exsolui contentricis robur accidat; sed cæteris alijs omissis causis eas tantummodo attingemus, quæ cibum euomendi grauidis occasionem præbent. Sunt autem, uel praua, quæ ingeruntur edullia ob deprauatum appetitū, vel ventriculi vitiū, vbi à sanguine menstruo, vel eius vaporibus os male afficitur: nam licet boni succi sint alimenta, nihilominus, vel quia à praua intemperie prauam acquirunt qualitatem, vel quia prauis ipsis humoribus permiscentur, hac de causa praua eorum adepta qualitate sensitiua facultas, quæ in ventriculi ore eximij est sensus tūc noxam percipiens expultricem excitat, quæ sic excitata illico ad vomitum adnititur, neque ab eius conatu, impetuq; expellēdi cessat, quousque eius quod infestat ab ea sursum expleta reiectio fuerit. Potest quoque ratione cibi contingere quando fuerit mulieri ingratus, vel ratione deprauatæ appetentiæ ipsum aborreat, uel si quamuis laudabilis esca sit, nihilominus ob imminutam appe-

tentiam fastidiuerit, & hæc de causis. Signa ex reie-ctis, & excretis sumi poterunt ex ipso uisu. Ante curationem prædicendum profecto fuerit, quòd si male affectus uentriculus ob retentos menses in causa fuerit, usque in tertium mensem, uel prope quartum perfecte sanari minime poterit, ut de picaceo affectu dictum fuit; uerum si prauorum ingestorum uitium in causa fuerit, utique si Medico obediens sit uomitione sedabitur. Curatio igitur tum in ciborum offerendorum, tum etiam in medicamentis sumendis, & in extrinsecus faciendis vētriculi curatio consistit. Si igitur deprauata sit ciborũ appetentia regatur mulier, vt supra de picaceo affectu est dictũ, si vero imminuta tantum fuerit omni ingenio conetur mulier cibos boni succi, coctuq; faciles sumere, vt est panis ex optima farina triticea decenter fermentatus, & coctus qui sit sale aliquantisper, & anisis confectus: carnes sint laudabiliores, vt pullorum, paruorum colũborum, auicularumq; montanarum assatæ potius, & succo, vel pumici mali, vel aranciorum, aut agrestæ conditæ, & inter quadrupedes, vt sunt ędinæ, vitulorũ iuuēculorũ, & ex his quas minus fastidiuerint; Ex obsonijs uero vt cappares, citonia mala vino generoso incocta, vel assata cũ zaccaro, in fine mēsæ nec nõ pira similiter cocta, mala appia, nec non mala pumica, vua pensilis, & oliuæ muria conditæ. Pro potu vtatur vino rubro, vel albo si mulieri iucundius fuerit; linfetur aqua limpidissima prout mulieri ex vsu fuerit, & hæc de alendi scopo cui in affectu eiusmodi,

est

est prę cæteris incumbendum, cum & vtero gerentis, ac pariter fœtus respiciat vires. Interim molienda esset euacuatio eorum, quę in ventriculo superfluũt, eiusq; intemperiem fouẽt, & fortasse eorum prauam qualitatem ijs qui in dies ingeruntur cibis impertiũtur. Verum cum eiusmodi per pharmacum euacuatio à grauidis non tolleretur, & præcipue ante quartũ Hip. monente; idcirco opus hoc naturæ est permittendum, atque sperandum est, quod natura ipsa vomitu, & coctione in dies augescente fœtu ventriculũ vsque in quartum mensem repurgabit, & ipse ventriculus paulatim ad sui temperamenti simmetriam tãdem redibit. At quoniam frustra vixq; euacuari possent recremẽta ipsa nedum à natura, neque etiam ab arte si noua alia iugiter, & in dies progignerẽtur, prę cauendum idcirco est, ne alia loco eius quę euacuabitur denuo succedat. Hoc fiet autem si præter congruam uictus præscriptam rationem ventriculus roboretur. In primis ut adiuuetur natura ad præparandum, atque concoquẽdum, nec non ad detersionem prauorum humorum in ventriculo existẽtium iusculum hoc pararem, & summo mane exhiberem, & si eis fortasse ingratum foret, ipsumq; fastidirent; exhiberem per duas perq; tres tantum, vt abluatur, & detergatur uentriculus; si eo sumpto ad uomi.um proritetur, sin minus per aliquot dies exhibitionẽ prosequerer, ut sic.

Rec. mellis rosacei colati } an. onc. s.
Syr. de corticibus citri }

iusculi

iusculi galinacei in quo efferbuerint cicoreæ, mẽtæ, an. dr.iij.

Mali citonei frustulũ; de quo iure accipe unc.iij.s.

Misce cum dictis syruppis capiat in aurora

Si verò iusculum aborreret, mel rosaceum, atque syrup. dictum absque decocto sumere valebit cum cocleare per quatuor, vel quinque dies: & si rosaceum mel, atque syr. aborreat tantundem Hispani mellis eius vice sumere poterit. Interim ventriculus roboretur sic

Rec. panis crustam assatam: maceretur in vino rubro atque contundatur eique addatur.

Rec. pulueris gariofolorum

Masticis

Mentæ siccæ

Rosarum rubearum an dr.j.s.

Aceti acerrimi. unc.iij.

Misce fiat emplastrum quod tepide vẽtriculo applicetur parum ante cibum, tepidumq; seruetur per aliquod spatium ab assumpto cibo, vel sic

Rec. mentæ romanæ

Absinthij an. m.j.

Masticis dr. ij.

Gariofilorum dr.iij.

Rosarum m. j.

Mellis, vel piri cotonei frustula

Citini, vel flores mali granati m.s.

Ferueant in vino nigro cum dimidia parte vini falerni,

ni, vel alterius generoſi ad tertias, deinde coletur, & cum ſpongia ventriculo applicanda fiat fomentatio ſingulo mane ante cibum, & pluries reiterato, hoc linimento vngatur poſt exſuccationem.

Rec. olei de ſpico }
Olei citoniorum } an. vnc. s.
Gariofilorum ſcr. j.
Maſticis ſcr. s.
Corallorum rubeorum ſcr. j.
Ceræ, & aceti parum. miſce fiat vnguentum vngatur ſtomachus poſt fomentum, & antequam reiteretur inűctio, cum elixeruite ſtomachus ante illinatur:

Poterit quoque hoc vti electuario ſi oportuerit, vt
Rec. pulpæ malorum citoniorum aſſatorű unc. iij.
Pulpæ ceraſorum, quæ amarina dicuntur. unc. j. s.
Diaſorbiton. unc. s.
Sinapis cum ſapa conditæ. unc. j. s.
Miſce, de quo ſingulo mane cocleare unű ſumat.

De dolore ventris grauidarum.

CAPVT QVINTVM.


GRAVIDIS mulieribus crebro contingit, ut uentris dolor eas exerceat, ac nő leuiter exacerbare ſoleat, ita vt aborſus periculum immineat, vel eius non leuis timor mulieres grauidas ipſas incutiat. Oritur hic

quidem

quidem à crassis flatibus in locis subcalidis hepatis à cruditatibus sublatis, & humorum prauitate ex prauoq; ingesto ab eis alimento, & in ipsum vetrem depulsis. Intus siquidem inclusi, & per anfractus discurrentes extensiuum dolorem illum proritant. Tota igitur curatio in hoc versari debet, vt sedetur dolor, flatusq; pariter discutiantur. In primis igitur præmissa debita victus ratione, vt supra hoc præsidio tanquã familiarissimo tuto vti licebit.

Rec. ouorum lutea nu.iiij.

Olei cherini vnc. j.

Olei anisorum vnc.s.

Croci parum.

Misce fiat frictatum, & vbi est dolor applicetur.

Poterit quoque hoc alio præsidio vti si illud non sufficiat, vt

Rec. Hip. sacculum ex millio, furfure, & sale, addãtur cineres, & super tegula simul calefiant, & immisceantur, & vino maluatico, vel alio generoso cõspergantur, & sacculo immissa supra ventrem extendantur, vel sic

Rec. matricariæ

Camomillæ

Anethi

Baccarum lauri

Anisorum

Fœniculi an.q. suff.

Ferueant in vino græco, vel alio generoso, in quo decocto decenter calente mollis spõgia immergatur,

quæ

quæ ſatis expreſſa, & adhuc calens linea petia obuoluta dolenti parti admoueatur, ac ſæpius reiteretur. Interim quoque poterit eiuſmodi tabellarum cõferre vſus, videlicet

Rec. nucis muſcatæ
Spetier. diacimini } an. dr.s.
Spetier: diatrion pipereonis ſcr. s.

Zaccari diſſoluti cum ſtillatitia aqua cinamomi, & pauco oleo aniſorum, ſi oleũ ipſum non reſpuat mulier confice tabellas, de quibus accipiat mulier ieiuno ſtomaco, & hauſtulum vini ſuperbibat; vel ſi hæc nõ contulerint, enema hoc inijcere non fuerit alienum.

Rec. aniſorum
Fœniculi
Camomillæ an. m. s.
Ferueant in iure pulli de quo accipe lib.j.
Olei cherini
Camomellini } an. unc.ij.
Zaccari rubri vnc. j.s.
Butiri recentis vnc.j.
Luteum oui nu.j.
Salis quòd ſatis eſt miſce, & infundatur.

De renum, & lumborum dolore.

CAPVT SEXTVM.

SI renum, & lumborum dolor grauidas mulieres exerceat ob conſortium, quod ipſæ partes cum

vtero

vtero ducunt mediantibus vasis, & ligamentis, quæ partibus ipsis inherent, & vteri membranis inseruntur, aborsus periculum non leue impendet, vt Hip. monet lib. 1. de morbis mulierum nume. 42. idcirco quamprimum ipsi dolori, & eius causis succurrendũ erit. Si dolor consensum feriens in conspectum nimium se proferat, vt eius causa tantum peruestigetur, atque comperta tollatur præcipue exposcit (ipso interim minime neglecto) vt aliqua ex parte sedetur. Doloris causa dubio procul est vteri onus ipsis partibus impertitum, tum ob consortium, tum ratione ligamentorum quibus vteri membranæ, quæ secundę dicuntur arctissime lumbis colligantur, tum etiam ratione excretricis vteri ad lumbos tanquam ad sui vicinia deponentis, quemmadmodum & ad alias corporis partes deponere solet, vt ex Hippocrate citato loco elicitur, nec non à Gal. asseritur lib. 5. apho. com. 53. Noxia vero sunt retenta mensium recrementa. Vt igitur ab vtero deriuentur, quæ noxia grauant, nec non reuellantur, ea tum quæ iam lumbos occupant, tum etiam quæ in ipsum tendunt recrementa; idque nec per venæ sectionem, neque per soluentia medicamenta à grauidis mulieribus tolleretur, clistere vtẽdum erit iuxta monitum Hipp. lib. de nat. mulierum nu. 12. hoc siquidem præsidio ab vtero deriuabimus, ac pariter à lumbis, & renibus, & si quid in fluxu est ab vna ad aliã partẽ iuxta fiet diuersio, sensibilisq; euacuatio, & fœcũ, & noxij cuiusq; humoris, ac ẽt flatuũ si illis ĩ partib⁹ fuerint ĩclusi. Enema igit sic instituerẽ.

Rec.

Rec. Iuris pulli galinacei in quo efferbuerint.
Camomillæ flores, & anisi quantũ suffecerit lib.j.
Olei violacei unc.iij.
Olei cherini vnc.ij.
Zaccari rubri unc.j. s.
Luteum oui nu.j.
Salis quantnm suff. misce, & tepenter infundatur cum cautela, ne flatus in inijciendo recipiat.

Verum si conceptus nõ attingeret adhuc tertium mensem à clistere abstinerem, si præcipue sua sponte aluus egerat, & in primis ad leuiora me conuerterem, vt ad inunctiones sicuti etiam vbi enema fuerit celebratum. Interstinguerem igitur an dolor ipse à calida, vel frigida materia fieret, & quæ esset partium intemperies. Quod si intemperies frigida fuerit, & ab humidis recrementis foueatur retentorum mensium: tunc ob partium contemperamentũ, nec non ad prę seruandi fœtum, & præcauendum aborsum, & ad eas partes roborandas sic dolentes partes illinirem.

Rec. olei masticini vnc. j.
Corallorum rubeorum
Boli armenici an. scr. s.
Croci grana vij.
Ceræ q. suff. fiat vnguentum molle cum quo fiat partium illinitio, vel sic
Rec. olei anetini
Olei costini an. unc.s.
Vnguenti de comitissa unc. j. Misce vngantur dolẽtes partes. Et si calida esset intẽperies tũc sic pararẽ.

Rec.

Rec. olei mirtini
Olei mellini } an.unc.s.

Pulueris corallorum rub.
Boli armenici } an.ſcr.s.

Cære quantum ſufficit fiat vnctio cum qua partes illinantur vel ſic.

Rec. infrigidantis gal.
Vng. de comitiſſa } an.unc.s.

Succi aranciorum parum;miſce vngantur affectæ partes; & ſi fortaſſe contingeret(vt ſolet)quòd menſium alborum,vel rubrorum aliquid appareret,& de aborſu idcirco timeatur:tunc ſic.

Rec. granorum tintorum ſubtiliter puluerizatorum dr. s.
Corallorum rubeorum
Margaritarum non perforatarum an. gran.vj.
Miſce exhibeatur cum ſorbili ouo. Vel ſic
Rec. maſticis finiſſime puluerizatæ. dr. s.
Setæ ſericeæ finiſſime trituratæ gran. iiij.
Capiat cum ſorbili ouo, vt eſt dictum. Vel ſic

Rec. electuar. diamargariton dr.j. capiat in mane, & hauſtulum vini rubri ſtiptici ſuperbibat, quod electuarium laudatur à doctiſſimo Serapione, nec non idem præſidiũ laudauit Ianus Damaſcenus. Interim dum hæc fiunt, & quam primum pręmittenda eſt illa ciborum,& potus ratio,ac etiam cęterarũ,quæ ex vſu ſunt non naturalium rerũ, prout ſupra in cæteris capitibus inſtitutum fuit.

De ventris stipticitate in grauidis.

CAPVT SEPTIMVM.


ARDA pigraq; fit alui deiectio grauidis mulieribus, quod quidem simptoma, quòd alios morbos excitare solet cum excrementorum prouẽtus, & eorundem retentio vltra debitum, & naturæ consuetum tempus inter morbificas causas merito reccẽsuerit Gal.in suo 1. de sanitate tuẽda primo, secundo, & tertio capite. Vt grauidis mulieribus egerendi sit difficultas binæ statuuntur causæ, vna videlicet intestinorum adstrictio ob vteri dilatationẽ, alia vero est fœcum durities quæ ab esculentis, acerbis, sicioribusq;, & adstringẽtibus oritur, vt cap. de pica vidimus. Adstrictioni intestinorum sane occurri non potest, cùm vteri dilatationem impedire nõ liceat ob fœtus incrementum. Alteri vero causæ videlicet fœcum duritiei, sic occurrendum fuerit. Quæ duriores sicciores q; sunt fœces, erunt emolliendæ, vt facilius natura eas excernere valeat, vel erunt arte euacuãdæ. Ad fœces, & aluum emolliendã pruna damascena in iure pulli, vel veruecis incoqui poterunt, & in prima mensa, & ante alium cibum cum zaccaro exhiberi poterunt, & post earum commestionem parum iusculi illius in quo fuerint incoctæ cum pauco zaccaro superbibant. Quantum ad hunc vsum conferant

Quintus

Quintus Scribonius eleganti carmine oſtẽdit, vbi inquit. Prunaq; conueniũt quæ mittit clara Damaſcus. Si hæc nihilominus non conferant, arte enema parãdum erit ſic

Rec. decocti maluarum, & camomillę in iure pulli, vel veruecis decocti lib. j.
Olei violacei vnc. iij.
Olei cherini vnc. j.
Butiri recentis vnc. j. s.
Luteum oui nu. 1.
Salis quod ſufficiat: miſce infundatur enema, cauẽdo tamen ne flatus mulier cum enemate recipiat. A' duris fœcibus inteſtinis repurgatis, atque ablutis, pręſeruanda tunc erunt ne ſimiles aliæ deſcendant, ibiq; morando ſicceſcant, ac ſic nimium dureſcãt: minime vero ſiccæ adeo fœces denuo inteſtina occupabunt, ſi non amplius progignantur non progignentur autem ſi acerbis, ſiccisq;, ac adſtringentibus eſculentis mulier ſe continendo, cibis vtatur boni ſucci, & qui concoctu faciles, & emolliẽtis facultatis minime expertes, quales ſunt, pinguiora iuſcula capi, Veruecis, lactentium vitulorum, & eorundem animalium elixæ carnes, oua recentia tremula, caricæ pingues, & pira cocta, & poſt omnem cibum commanſa. Pro ciborum condimentis perbelle præſtabunt paſſulæ corinthiades, damaſcena pruna, butirum recens, mel & zaccarum.



De cita alui deiectione.

CAPVT OCTAVVM.



ITA fit, & intempestiua grauidis mulieribus alui deiectio, tum prauorum esculentorum vitio, tum etiam contẽtricis ventriculi imbecillitate. Cum nanque ob deprauatam appetentiam, vel acerba, aut acria, vel inconsueta, & absurda appetentes, & terram cimoliam, extinctos carbones, cineres, & calcem ingerunt, contentrix tunc ab eorum prauitate, & onere adeo degrauatur, vt non arctè ipsa amplecti valeat, & continere quousque concoquantur, sed semicocta, & sumptis finitima deijciantur. Quandoque etiam vitio potius coctricis id cõtingit, facultatis eiusdem dissoluto robore, tum ob acquisitã in ventriculo intemperiem, tum ob praua quæ in eo redundant recrementa, nec non ob aliena, & praua, quæ in ipsum ingeruntur edullia. Fluxus & causarũ eius inditia deiectiones ipsæ excretæ ostendent. De prædictione autem si ingestorum ciborum vitio id contingat leui negotio sanè curabitur, si ab insuetis prauisq; edullijs se mulier continebit, simulac boni succi vtatur cibis, qui ventriculi contentricem, neque praua qualitate, neque onere grauent. Pro curatione igitur cibi accipiantur boni chimi, vt panis ex optima farina probeq; fermentatus, atque decẽter coctus:

carnes

carnes vero auicularum mõtanarum ſint, vel paruorum columborum aſſatæ potius, quam elixæ. Caueat à iuſculorum nimio vſu, & præcipue pinguium, & ſi panem iuſculo infuſum appetat ipſum comedere poterit, ſed à iuſculo aliqualiter expreſſo. Poterunt condiri edullia ipſa, vel granatorum ſucco, vel citoniorũ nec non ſucco agreſtæ, & aranciorum, pipere, gariofillis, & cinamomo prout ipſi gratum magis fuerit. Oua quoque concedi poterunt recentia aceto prius cum teſta infuſa, & decenter cocta quorum lutea comedere poterunt in principio menſæ. Proderit quoque ante alium cibum, vt ſumat mulier per aliquot temporis ſpatium vnum, vel duo coclearia miuæ citoniorum, vel fruſtulũ mali citonij aſſi, vel vino rubro cocti: potus ſit vinum ſubrubrum, limpidum, & odorum, & ex vſu linfatum: ventriculo autem, & pro eo roborando hæc adminiſtranda erunt.

Rec. olei de ſpico
Olei maſticini } an. vnc.s.
Maſticis
Galangæ } an. gran. vj.

Ceræ, & aceti parum, fiat vnctio cum qua liniatur ventriculus, vel ſic

Rec. olei de abſinthio
Olei mellini } an. vnc.s.
Maſticis
Gariofillorum
Corallorum alb. & rub. an. gran. vj.
Ceræ q. ſuf. fiat unctio cum qua ungatur uẽtriculi

 regio,

regio, & antequam inungatur accipiatur elisiruitæ, vel aquę vitis parum, & coto detergatur quod inunctum antea fuerit, & postea denuo vngatur ventriculus, & sic prosequatur mane, & sero ante cibum, vel saltin semel in die. Poterit quoque si hæc non contulerint pro maiori robore, accipi sic,

Rec. rosarum rubearum
Absinthij,
Mentæ siccæ,
Masticis, an. q. suff.
Gariofillorum,
Galangæ,

Ferueant in aqua mentæ cum tertia parte vini rubri generosi, cum quo foueatur ventriculus antequá denuo inungatur. Vel sic

Rec. vini falerni, vel alterius ex generosis lib. j. s.
Specierum aromatici rosati vnc.s. Misce tepefiant simul, & cum spongia finissima fiat fomentatio ante inunctionem. Proderit quoque, vt ventriculo robur restituatur hac confectione, vti

Rec. masticis,
Zedoariæ,
Corall. rubeorum, an. scr. j.
Terræ sigillatæ,

Finissime puluerizentur, & adde zacchari albi vnc. ij.s. zaccarum, & alia dissoluãtur in aqua mentę, atque rosarum, an. parum; fiant arte tabellæ, ex quibus sumat mulier dr. s. vel circiter, singulo mane ante alium cibum, & vini generosi haustulum superbibat.

Si

Si verò à coctricis imbecillitate lientericus fluxus oriatur, minime autem contentricis vitio, eius facultatis videlicet diminuto robore, imminuti verò roboris vtriusque facultatis facile coniectari potest, quod sit retentorum mensium vitium ab vtero in ventriculum impertitum, nec non insuetorum, alienorumq; ciborum à grauidis ingestorum praua qualitas, quæ singula cùm ventriculi temperamentum, eiusq; simmetriam perfringant, & idcirco cuiuslibet facultatis, & coctricis præcipuè in eo vim atterant; ipsa procul dubio vitia corrigenda erunt, atque penitus delenda. Mensium vitium optimo mulieris regimine moderari poterit, & cibis boni succi aboleri. Infantis ope presertim, vbi quartum attigerit mensem suæ in vtero gestationis. Curatio igitur tota in hoc consistit, vt ventriculi robur resarciatur: id vero fiet, vt aliàs est dictum, si grauida mulier à prauis se abstineat, & boni succi cibis vtatur, coctuq; facilioribus, atque in se alendo, in cibo, & potu moderate se gerat. Extrinsecus præterea fomenta, vnctiones, & cætera erunt administranda, prout supra præscriptum fuit, & hoc præcipue præsidio vti pro roborando ventriculo accommodum erit:

Rec. corcitis citri conditi vnc. iiij.
Mellis hispani vnc.iij.
Spetierum diatrion pipereonis scr.iiij.

Contundatur cortex, postea ex ijs mistura fiat, de qua mane, & sero per duas, vel tres horas ante cibum cocleare vnum accipiat, & vini generosi haustulum

ſuperbibat, Vel in forma taſſellarum ſic; vti poterit.

Rec.ſpetierum diatrion pipereonis ſcr.ij.

Maſticis.

Corall. rubeo, & alborum, an. gran. iiij.

Zaccari finiſſimi diſſoluti in aqua mentæ, ſimul ac ſtillatitij liquoris cinamomi tertia parte vnc.j. s. fiant taſſellæ pōdere dr. j. de quibus capiat vnam pro qualibet vice mane, & ſero ante cibum per duas horas, & vini hauſtulum ſuperbibat. Verum ſi alui fluxus ab acredine diuerſorum humorum expulſiuam irritante excitetur, cùm eo perſeuerante non leue abortus periculum impendeat, vt Hip. monet lib.5.aph. 34. idcirco quamprimum prouidendum, ſed cum præmeditatione, atque caute agendum erit: quandoquidem medicamenta quæ collagoga dicuntur, ſicuti & alia ſoluentia non ferāt vtero gerentes, abſque fœtus perditione, neque intus retinenda bilis, vel cohibenda ſit, ne ſua acredine in dies expulſiuá magis proritet, & fluxum non modo foueat, ſed magis augeat, vel etiam inteſtina abradat, & exulceret, vt inde periculū ingeminetur, iuxta Hip.monitum lib.7.apho. 27.inquiens: Mulieri vtero gerenti ſi tenſio ſuperuenerit facit abortum. In hoc morbo ſiquidem totum corpus defatigatur, & præ ceteris matrix, quæ cognata eſt recto inteſtino, vt Gal.inquit citato loco, nihil mirum inquit ipſe, ſi propter vehementes, atque frequētes exſurrectiones, conceptus abortitur. Quid igitur agendum, vt pericula vndique impendētia uitemus, & ab eiuſmodi naufragio, fœtus vna cum matre tutus

emerga-

emergatur, ſi infeſtantem humorem euacuare, neque ipſum intus cohibere nobis abſque fœtus diſpendio non liceat. Bini extant proſequendi ſcopi, ut ab eiuſmodi iniuriarum incurſionibus, undique fœtum laceſſire ualentibus, tutus euadat. Primus eſt, ut quæ in inteſtinis continetur bilis, ut ab eis leniter extraducatur, & ipſa abluant, ne ab ipſa bile abradantur. At quoniam ſi continuò alia noua deſcendat, nunquam rectè ab ea repurgari ualebũt, idcirco cum hoc curãdi ſcopo, etiam præſeruandum erit, ac pręcauendum, nè iugiter alia deſcendat, quod quidem fiet, ſi bilis acrimonia, & feruor retundatur, ac refrenetur, ne amplius ſtimulet, atque facultates proritet, alteriq; huic ſcopo ſatisfacere ad unguem minime ualebimus, ſi, nè noua denuo progignatur, inhibeamus; hoc autem alimentorum boni ſucci quæ bilem minime procreare ualeant, & cæterorum non naturaliũ dextero uſu, rationabiliter tertio huic ſcopo, tanquam ultimo inuento in reſoluendi methodo præcipue, & in primis magnopere proſpiciendum erit. De cibo, & potu tãtummodo dicere expedit, nam de cæteris non naturalibus rebus ita ſe gerere, ac regere debet grauida mulier, ut ſuo loco præſcripſimus. Cibi igitur ſint boni ſucci, quales ſunt ſuperioribus capitibus inſtituti, ſed cum decocto carnium, quę ab eis ueſcuntur contemperandæ caliditatis gratia hæc ferueant, uidelicet endiuia, lactuca, borrago, acetoſa: Præterea cum dictis carnibus cucurbita uti poterunt, ſeminibus comunibus, orizza, ordei farina, & in die qua caro eis interdicetur,

dicetur, poterunt ſumere oua ſorbilia ſi oportuerit in aceto, nec non fercula cum ipſis, & farina, & ſucco limonum, uel aranciorum, uel agreſta condita. Elixis potius quam aſſis utatur cibis, præterea ipſorum edulliorum ſingula uitabuntur, quæ calidum, bilioſumq; ſuccum procreare ualeant. Vitentur quoque aromaticæ ſpecies. Potus ſit uinum pauciferum, moderateq; dilutum, & ſi nimium infeſtaret fluxus, aqua calibeata linfari poterit. Poſt meridiem uero per horas quatuor ad minus ante cœnam ſumat ptiſanam ordeaceam ſic;

Rec. ordei parumper torrefacti, & elixati q.ſuff. cũ ſeminibus comunibus, & zaccaro q.ſatis ſit ad dulcorandum ptiſana fiat, quæ limonum, uel aranciorum ſucco condiatur, ipſamq; pro ſecundo cibo ſumat mulier. Inſtituto cibo, & potu, quamprimum expediet bilem ipſam ab inteſtinis educere ab eaque inteſtina ipſa abluere, quod hoc enemate fiet, uidelicet,

Rec. ordei,
Camomillæ, } an. m. s.
Aniſorum,

Ferueant ſimul in iure pulli galinacei, de quo accipe lib.j.

Olei roſacei unc.iij. cum dimidia,

Ouorum lutea nume. ij.

Zaccari rubri unc.j.s. Miſce; fiat enema: ſi uero abraſio aliqua in inteſtino recto effecta fortaſſe fuerit, quod ab inani cupiditate deſidendi, atque conatu dignoſci poterit, tunc enema fiet ſic:

Rec.

Rec. aniſorum,
Ordei,
Camomillæ, an. m.j.
Plantaginis,
Burſæ paſtoris,
Arnogloſſæ,
Ferueant in aqua borracea: de quo decocto accipe lib. j.
Olei roſacei onfacini vnc.iiij.
Sæpi renum hirci, vel veruecis vnc.j.s. vel vnc. ij.
Luteum oui cum albumine nu.j.
Zaccari rubri vnc.j.
Miſce fiat enema. Et ſi fortaſſe indicia effecti iam vlceris, Tenaſmonisq; proſequerentur, ſub alia forma enema ſic parari poterit.
Rec. lactis caprilli in quo extincti fuerint lapides fluuiales igniti lib.s.
Olei roſati vnc.iij.
Zaccari rubri vnc. j.s.
Luteum oui cum albumine nu.j. Miſce fiat enema, quæ enemata ſecundum indigentiam proſequantur, nihilominus cum cautela, & ſi oportuerit pro refrenanda bilis acuitate, & acredine ordinari poterit ſyruppus ſic, vrgente vſu.
Rec. ſyr. roſati ſicci,
Syr. de ribes an. vnc.s.
Iuſculi galinacei non ſaliti, & pinguedine abiecta vnc. iij. s.
Stillatitij cinamomi ob flatus dr. j. Miſce capiat in

aurora:

aurora: & si dolor in pectine, vel circa os sacrum mulierem infestaret, poterit sic leniri;

Rec. ouorum lutea nu.iiij.

Olei mirtini,

Masticini, an. q. suff.

Croci parum, misce fiat frictatum, quod pectini, & vbi dolor aderit calens admoueatur.

Verum si effecti tenasmonis accidentia sæuiant, & ob irritamenta mulier frequenter nimis ad desidendum cogeretur, quia in hoc maxime abortus periculum impendet, ob frequentes exsurrectiones, vt Hip. & cum eo Gal. monent, vt mulierem Medicus curet, & fœtum inquantũ arte valebit reseruet, ad validiora præsidia audacter confugiẽdum erit. Ad pectinis dolorem præcipue, recipi sic poterit:

Rec. Veruecis zirbum, & cum vino rubro, odoriferoq; in sertagine leuiter suffrigatur, eiq; rosarum rubearum puluere, & mirtillorum super inspersa, pectini moderate calidum admoueatur, & ad libitum permutetur, si eius odorem grauida nõ respuat. Et si dolor, & cætera simptomata nihilominus exacerbarent, tunc ratione vrgentis insessio parari poterit, in qua non leuiter confido, cùm optimo successu eã pluries expertus fuerim in nobili muliere, pręcipue vtero gerente, ex familia de Anselmis in hac vrbe, quo præsidio inter cætera maxime sedata fuere simptomata, & vna cũ fœtu Deo Opt. Max. fauente incolumis euasit:

Rec. Verbasci,

Plantaginis,

Bursæ

Bursæ pastoris,

Anaglossæ,

Ros. rubearum,

Citini flores, malorum scilicet granatorum an. q. suff.

Aquæ Burræ si adsit, & si eius facultas non adsit, aquæ calibeatæ, uini rubri an. partes equales. Incoquantur simul, & fiat insessio tepente balneo, & ibi per aliquam horam maneat, neque ex ea molestiam recipiat, neque defatigetur, postea lineis pannis calẽtibus leuiter exsiccetur, & subinde pecten linimento apposito illinatur, videlicet:

Rec. olei masticini,

Mellini, an. unc. s.

Sæpi ueruecis dr. ij.

Pulueris ros. rubearum,


Pulueris verbasci,

Terræ sigillatæ,

Corall. rubeorum, an. scr. j.

Ceræ quod satis sit, fiat unguentum molle, cum quo pectinis regio illinatur ubi dolor percipitur, & hæc de eiusmodi fluxus curatione.

Finis primi Tractatus.



IACOBI




IACOBI TRVNCONII MEDICI AC PHILOSOPHI.

De Obſtetricali arte, atque Obſtetricis officio.

Tractatus Secundus.

De admirando naturæ opere in cuiuſque animantis, & præcipue mulieris partu.

CAPVT PRIMVM.



INTER cętera naturę admirãda opera, tum in progignẽdo, tum etiam in efformando hominem, eundemq; alendo, augendo, & conſeruãdo hoc prę cæteris arduum, & admiratione dignum profectò uidetur, quòd in parturitionis tempore ſagaciſſime natura molitur. In ipſo partu namque duo ſpectantur pręcipuè, quibus omnes homines admirari non immerito licet. Primum eſt, quòd infans ubi ſuæ ſpeciei conuenienti forma perpulchre adornatus, incuruus, totusq; ueluti in carcere, & perangusto ſatis loco contractus, ad nates conuerſis talis, genuaq; ſuis manibus ueluti apprehenſis, ibiq; demiſſa

facie,

facie, utrique pollici oculis, & intra genua naſo decũbentibus, in hoc ſitu perſiſtat uſque in præſcriptum ſui ortus tempus, nec antea ad exitum ſe properare accingat. Præſcripto uerò ſui ortus tempore, à uinculis, ac tenebroſo carcere, ut ſe extricet ſponte accinctus calcitrare incipit, & manibus, pedibusq; ſe adnitens, amnion membranam in primis diſrumpit, indeq; acetabula diſſoluit, & tunc matri dolores afferre incipit. Proinde ſe commouere, nixuq; agitari non deſinit, quouſque ſecundæ auellantur, ſingulæq; mẽbranæ diſcerptæ fuerint, & tanquam pomum iã maturum ſoluto ſponte pediculo à uinculorum connexu excidit: à uinculis ſubinde abſolutus, & è cęco carcere exire contendens in caput deorſum pudendum uerſus reuolutus, ſurſumq; elatis cruribus, brachijsq; per illia, & coxas protenſis (nullo edocẽte) ad exitum ſe recte accõmodat, atque ab uteri excretrice ſtrenuè compulſus, capite ſibi uiam parans, matreq; pariente ſpiritus detentione coadiuuante, in lucem denique illeſum, & incolumem ſe profert; & hoc eſt primum admiratione dignum opus in infantis ortu à natura emanans. Aliud & non minus admiratione dignum eſt uteri functio, qui cum per nouem menſes ſuæ geſtationis eius ceruicis os, uel foramen per quod menſes prius repurgare ſolebat, & maris ſemen excipere, occluſum, & anguſtum toto eo tempore fuerit, ita ut ſpecilli acumen uix admitteret; quemadmodum Gal. atteſtatur lib. de diſſerctione uuluæ cap. 7. & 3. de natu ralibus facultatibus cap. 3. & 2. de ſimp. cauſis cap. 5.

Inſtante

Instante autem parturitionis ho ra, os, siue id foramen adeo dilatatur, vt quod mirum auditu sit, vt per ipsũ animal totum exeat, & condecens ei tunc temporis præstetur ore vteri se dilatante aditus; vt Gal. inter cæteros valde admiratus inquit citato superius loco; Et hæc de admirandis operibus à natura fætus, & mulieris vteri in partu editis.

Quod in grauidarum parturitione vnà cum parturiente, & oriundo infante perita obstetrix necessariò requiratur.

CAPVT SECVNDVM.



VM natura in tam eximio opere, in quo homo in mundo paritur inter cætera animantia pręstantissimus, vt qui solus incorruptibili, & æterno animo sit præditus, non sufficientibus eius intimis facultatibus, quemmadmodum brutis singulis, quæ per siluas, & nemora belluæ ipsæ per se solæ nemine coadiuuante incolumiter suos partus edunt, sed ob eximiam corporis structurã auxilio ad extra, & opere indigent obstetricis, quæ, tùm administra, tùm etiam opifex exeuntem in lucem infantem suscipiat, & susceptum à vinculis dissoluat, & pariter infantis, simulac matris vitam eius opere custodiat.



Quæ & qualis debeat esse obstetrix.

CAPVT TERTIVM.



OBSTETRIX, vt græcus ille Moschio inquit, mulier est causarum muliebriũ edocta, & medicinali exercitatione perita; & rursus lib. de armonia gyneceorum inquit; aptissima obstetrix est quæ litteras nouit, & habet ingenium, præsentem memoriam, & est studiosa, munda, vniuerso etiam corpore integra, fortis, laboriosa, non iracunda, non turbulenta, compatiens, sobria, pudica, arguta, quieta, prudens, non auara. Aristoteles vero in suo 8. de hist. animalium cap. 9. inquit. Iam vero & obstetricis officium pars ingenij, perspicacisq; intelligentiæ est. Mirum igitur meritò videri debet quod nostris temporibus nulla reperiatur mulier, quæ in obstetricali hac arte perita sit, & ab aliquibus ex peritis edocta. At potius, quæ ad eiusmodi artem se dicarunt, mulierculæ sint ex vilioribus, & in quolibet vrgente casu penitus ignaræ. Experitur hoc ciuitas hæc florentissima cùm nulla reperiatur, quæ circa parientes mulieres, officium, quod tam magni momenti extat, tuto exercere ualeat, sæpius namque vt ignarę, & quæ partus tempora distinguere nesciunt, infantem putãt iam in caput reuolutum esse, ad exitumq; paratum, cum adhuc minime sic fuerit, neque adhuc caput ap-

parere

parere minime percipiatur, & ita ſe decipientes mulierem intempeſtiuè, ac temerè in ſella locant, cum non leui diſpendio vitæ infantis, tùm etiam matris, quandoquidem muliere ante tempus in ſella locata, impeditur infantis naturalis in caput volutatio, & periculum ex hoc imminet, vt interim ad latera diſtorqueatur, & ex naturali, non naturalis inde ſequatur partus; fruſtraq́; fatigetur mulier, cuius vires in opportunum tempus, tùm ad adiuuandum infantis exitum, tùm etiam ad ſecundas propulſandas aſſeruandæ eſſent. Vt igitur quæ ad eiuſmodi artem ſe dicari velint, & quæ iam hucuſque ſe dicarunt rectè, tutoq́; artem exercere valeant, neque in perniciem, tùm parientium mulierum, tùm etiam oriendorum infantiũ amplius ob earum imperitiam errores contingant; in præſenti tractatu quid in quolibet parturitionis tempore ab obſtetrice ſit agendum, & quo pacto in quolibet vrgente caſu parienti mulieri, tùm etiam orienti infanti ſuccurrendum ſit, omni cum facilitate oſtendetur; (vt ſit edocta ea peritia qua debetur) officiũq́; quod maximi momenti extat in ſingularum ſalutem exercere vbicumque valeant.

Quid ab Obſtetrice ſit ſupponendum, & mente tenendum.

DOCVMENTVM PRIMVM.

IN primis non ignoret perita obſtetrix, quod illuſtris ea, eximiaq́; rerum natura quam Deus ſum-

mus ille opifex vnà cum mundo condidit (vt inquit Plato) & certa lege cunctis rebus indidit tanquam solertissima cuncta progignit, auget, tuetur, ac regit, vt Gal. est autor primo de naturalibus facul: ipsa enim est, quæ summum ostendit artificium, tùm in formãdo animali, tùm in eius incremento, tùm in perficiẽdo ipsum, nec non in eius partu, vt Galenus lib. 2. de diebus decretorijs ca. 2. attestatur. Ipsa enim prior tẽpore est, & in operibus sapiens magis, quàm ars vel obstetricis, vel alterius artificis, vt Gal. opinatus est lib. suo 7. de vsu part. ipsa nãque est, quæ infantis ortum, & mulieri pariendi tempus præfigit, vt Galenus citato nuper loco apertissime testatur, quotiescunq; à materię vitio natura ipsa non impediatur, vt Gal. 3. de naturalibus facultatibus asseuerauit. Ipsa est, quæ inter miranda alia opera instãte partus hora, hoc præ cæteris admirandum efficit, quod vt infanti facilior, atque tutior præstetur exitus, cũ matricis collum toto eo tẽpore, quo mulier vtero gerit adeo occlusus maneat; vt ne specilli quidem cuspidem queas immittere; in partus tempore adeò distenditur, & dilatatur, vt integrum animal illæsum illinc egrediatur: id quidẽ videmus Galenus inquit citato lib. decimusquintus de vsu partium cap. septimus, & sextus de loc. aff. cap. sextus sed quo pacto id accidat mirari possumus, intelligere non possumus. At natura tùm hæc, tùm alia omnia in animalis partu admiranda machinatur commenta. Etenim diligenter prouidit, quo pacto fœtus qua cõueniebat figura ad col-

lum

lum matricis perueniret, nec minus quo pacto dum ipsum peruaderet nullam partē sauciaret, ne uè colon laxaret. Caput enim fœtus collo matricis primum indidit, tum per id alijs ipsius partibus viā muniuit: neque hucusque prouidens natura admirando opere destitit, sed cum iam infantis caput appareat, & propè ad sui ortum iam sit, vt incolumis edatur in lucē, adnititur puer motrici eius facultate, nec non adnititur vterus, ac etiam pariter mulier naturali eius excretice facultate. Infans motrice inquam eius facultate, vterus excretice naturali, mulier, tum animali, tum etiam naturali se adiuuat spiritu cohibito, inferiusq; expulso, quousque infantem pepererit. Constat igitur, & apud omnes in cōfesso esse debet, quòd natura sagax, cum sit tempore prior, & sapiēs magis quam ars, ex se ipsa magna cū solertia mirificeq; operatur; At sicut vnusquisque fateri debet, quòd hæc à natura opera oriuntur, fatebitur quoque, quòd pulchrum omne, atque ordinatum, & artificiosum ex supernis innascitur, quemmadmodum fassus est Gal. lib. 2. de dieb. decret. cap. 2. Miranda hæc naturæ opera quis in animalium brutorum ortu non cōtemplauit? in quibus nulla adest ratio, nullumq; in ijs consilium, nec alia, quàm naturæ prouidentia, nihilominus progignuntur, & conuenienti illorum speciei forma efformantur, augentur, & in aluo tutantur, & ipsorum brutorum prægnantes belluæ per siluas, & nemora degentes statuto à natura tempore per se solæ, nullo alio opē ferente, ipsis illæsis, illæsum aīal edūt,

& suismet dentibus vmbilici vinculum, si eius exigui tate per se ipsa natura non separat, rescindunt. Prouida autem, vt in cæteris natura fuit, cū bruta ipsa illud non subeat periculum, vt homini subest, quòd si vmbilicus non deligetur, vel si deligato soluatur copula fœtus sanguine effuso moritur: Arist. inquit lib. 8. de hist. animalium cap. 10. in brutis verò cum obstetricali arte, & quolibet alieno auxilio destituta forent, natura sagacissima, quæ in necessarijs nunquam deficit Gal. asserente lib. 9. de vsu partium, prouidēs fuit, vt exili, & arefacto fere vmbilico animal pariatur. Præterea separato vmbilico abluitionis vice, bellua ipsa lingua vtitur, cum qua iá ortum, sordidumq; animal lingendo abluit, detergit, & à sorditie mundat. Non minus conspicitur sagacissimæ naturæ opus in grauida muliere, quæ in siluestribus locis habitans, à rure, & cæteris domibus distans, cœterarumq; mulierum comertia nō solum obstetrice destituta, nihilominus aduentante partu, tria tantummodo concurrunt, mulier pariens, eius vterus, & oriundus infans, infans quidem vt antea est dictum motrice facultate calcitrā do, & cothilodines disrumpendo, & disruptis ad exitum se adnitens, & viam capite sibi parans: vterus se dilatans, & eius vi expultrice infantem ipsum ad maturum partum propellens: Mulier cohibito spiritu, eundemq; in pudendum conatu propellens, quousq; in lucem infans editus fuerit. Quò vero pacto tria hæc tantum simul partum perfecerint, vtique docente natura respondendum erit, & firmiter ab omnibus

ſic authumandum fuerit. Orto infante ſubinde quicunque adfuerit (quamuis imperitus) vmbilicum reſcindet, & reſciſſum alligabit, quamuis id facere nõ didicerit, natura videlicet tanquam erudita id facere docente, vt Gal. aſſerit lib. 8. de decretis Hip. & Platonis, ex eiuſdemmet Hip. decreto. Natura igitur ſic per ſe ſola ſufficiet? omnino natura in ſuis operibus ſufficit, vt Hip. inquit primo de diebus decret. & à natura ipſa nihil minus, neque ſuperfluũ inquiebat Gal. lib. 9. de vſu part. Veruntamen ratione materiæ, circa quam naturæ opus verſatur, cum aliquando contingat inordinatum, erraticumq́; naturæ opus ſubſequi, vt Gal. expreſſit lib. 2. de dieb. decret. cap. 2. quo loco inferius inquit. Expedit igitur Medicum qui Hip. arte dignus futurus eſt, ſi quid aliud hoc certe perſuaſum habere experientiam iudicare, naturam rem quãdam eſſe ordinatam, & cum materiam ſuperauerit proportionibus quibuſdam definitis, & periodis ordinatis motiones ipſius fieri. At quæ præter rationem incidunt aliquando, ordinemq́; peruertunt tunc ipſi obueniunt, cum materiam planè non vicerit, ſed impeditur ab ea, prohibeturq́; ſuis proportionibus moueri. Hac ratione igitur ad eximium hoc opus, in quo homo paritur in mundo animantium omnium perfectiſſimus, & æterno animo præditus, iure meritò antiquiores celebratiſſimi viri (vt Ariſt. inter naturales, ſimul ac vniuerſa Medicorum ſcola) obſtetrices peritas dicarunt, quæ tanquam famulatrices, adminiſtræq́; aſſiſterent, nec non tanquam opifices

in recoligendo infantem in lucem iam editum, ac in ſcindendo, atque ligando vmbilicum, & in cæteris præterea vbi forte contingat, quòd natura ipſa per ſe ſola materiam euincere, ſuperareq; caſu aliquo non valeret.

Officij Obſtetricis per tria tempora diuiſio.

DOCVMENTVM SECVNDVM.



VAELIBET obſtetrix ſcire debet, quòd eius officium varia requirit opera ſecundum varia parturitionis tempora. Primum namque tempus id eſt, quo paritura iam doloribus vexari cæperit, vbi puer calcitrare incipit, & tandiu dolores ipſi per interualla repetunt, ac ſeuiunt, quouſque cothilodines diſrumpuntur & vltra, vt oſtendetur; & hic eſt primus parturitionis ſtatus. Ipſius ſtatus tempus ex hoc dignoſcitur, quia vbi dolores prægnãtem apprenderint, tunc parturitionis initium aderit, & hic ſtatus eo vſque perdurabit, donec perſeuerantibus doloribus à calcitrãte puero contigẽtibus membranæ, quibus inuolutus erat, diſruptæ fuerint, & vincula diſſoluta, & à cæco, anguſtoq; carcere ſe extricauerit, neque amplius à facultate contentrice continebitur, & tunc primus hic ſtatus deſinit, & ſecundus inſtat, de quo agemus cum prius iſtius primi ſtatus indicia perſcripſerimus. Signa ſunt primi ſtatus,

dolo-

dolorum perſeuerantia ſuperioris partis, ventris corrugatio, & concidentia, & inferioris partis dilatatio, vteriq; oſtioli aliqua ampliatio, vel leuis apertio, & lenti humoris effuſio ab obſtetrice immiſſo in vteri oſtium digito percepta; cum hæc indicia ſingula ad fuerint deſinet primus, & iam ſecundus parturitionis ſtatus accedit; cum infans videlicet in caput pudendum verſus reuolutus fuerit, ac perdurabit quouſque in lucem editus fuerit infans, & in obſtetricis gremio receptus. Indicia quibus in caput obuolutum infantem eſſe peruestigari poterit, erunt, vt ſi venter obuallatus fuerit, ſi tormina ad lumbos & ilia perſeuerauerint, & tandem (vt obſtetrix certior reddatur) manu oleo amigdalino, vel ſeſamino peruncta, & in pudendum immiſſa digitis vteri oſtium attingat, & ſi nō modo vteri oſtium ſatis patens reperiat, ſed etiam infantis caput, ſimulac aquæ perfuſionem apparuiſſe perſenſerit, tunc ſecundi ſtatus tempus aderit, & prope eſſe infantis ortum alia non erunt indicia perquirenda. Tertium vero parturitionis tempus, & ſtatus aderit illico orto infante, & in obſtetricis gremio recepto, quod quidem cum ſenſibus id notum fuerit, alia perueſtigatione non egebit. Quæ quidem hoc tertio ſtatu opera peragēda ſint ab obſtetrice, quemmadmodum etiam quid in primo, & ſecundo ſit ab ipſa agendum, ſuis locis inferius diſtincte oſtendetur.

Quid

Quid in primo parturitionis statu obseruandum sit, & quid agendum.

DOCVMENTVM TERTIVM.



ARTVRITIONIS tempus tunc initiabitur completo tẽpore nouem mẽsium, vel vltra si Arist. credendum sit, cum videlicet puer magnitudinem, & robur fuerit adeo consequutus, vt ore suo lac è mammis sugere valeat, ipsumq; conficere, cum nutrimentum illud, quod à matre in vtero ei suppeditatur nõ amplius sufficiat, vberioremq; cibum expostulans, & aerem ampliorem, calcitrare incipit, & cothilodines disrumpere, membranasq;, ac ligamenta dissoluere, vt ex arctissimo, angustissimoq; loco vbi totus conglobatus ita extet, vt nasum inter genua, oculos supra genua, aures extra genua habeat; vt Arist. inquit lib. 7. de hist. animalium cap. 8. Hip. vero de situ pueri in vtero matris, in suo de natura pueri nu. 35. ita sentiens inquit. Cæterum puer in vteris existens, manus apud genas habet, caput autem prope pedes: & non datur exquisitè ac certò cognoscere etiam si puerum in vtero videas, vtrum caput sursum habeat, vel deorsum. Auicen. autem lib. 3. fen. 22. trac. primo cap. 2. de situ pueri sic inquit. Et fœtus quidem ante motum suum ad exitum est substentatus cum facie sua super pedes suos, & cum plan-

tis, ſeu volis manuum ſuperpoſitis ſuper genua ſua, & naſo ipſius inter ambo genua, & oculis ſuper ea ambo, & colligit ea ad anteriorem ſui, & eſt inclinatum collũ eius, & facies eius declinat ad dorſum matris eius defendendo cor. Sic de infanti ſitu in utero antiquiores tradidere. Recentiores uero apud quos experimentum in dies plurimum inualuit, nec non obſtetrices id atteſtantes de infantis ſitu in utero ita aſſeuerarunt, uidelicet; quòd utero geſtatus puer incuruus totus, atque contractus talos ad nates applicat, manibus genua apprendit, in quæ caput ſic demittit, ut uterque oculus ſuo cuique manus pollici fixus adhereat, & naſus intra genua procumbat. Ita conglobatus, & in ſe totus contractus puer in anguſto ſatis vteri loco, miram naturæ prouidentiam, vt in cæteris ſuis operibus oſtendit: nam ſi nõ ita ſe cõtraheret matris aluum, ſuperioreſque partes nimium occuparet, nec non eas eximio ſenſu præditas, quoquo verſum extẽdendo dolore premeret, & ſuis motibus nimium dilaniaret. Mirum inſuper naturæ artificium uidetur, quod ita ſe accommodat puer paulatim caput inferius declinando, donec inſtante partus tempore à membranis, & uinculis extricatus puer, leuiori tunc negotio, faciliuſque in caput ſe obuoluat, & ad exitum uiam ſibi paret; quod patefecit Ariſt. citato ſuperius loco, inquiens omnibus æque animalibus caput primum ſuperius eſt, ſed cum creuerit, & iam exitum appetat deorſum deducitur; ita igitur ſituatus puer, ubi copioſius alimẽtum exoptauerit,

uerit, eique non amplius sufficiat id quod per vmbilicalem venam à matre suppeditatur, tunc calcitrando, pelliculasq; disrumpens partus initium matri affert, Hip. inquit citato loco; & eò vsque primum partus statum perdurare obstetrix intelligat, quousque calcitratione, & agitatione pueri membranæ disruptę fuerint, & vincula dissoluta præter illud quod à secũdis pendet. Cum igitur perita obstetrix à prægnante muliere doloribus apprehensa vocata fuerit, & cum ad ipsam accesserit in primis interrogare debet de tẽpore, quo ipsa concepisse putauerit; & inde computationem mẽsium facere totius temporis, quo ab eius conceptu fœtum gestauerit: subinde tangat ventrem ipsumq; inspiciat, & si eius superiores partes obuallari ceperint, & inferiores dilatari, doloresq; perseuerent; & si venter sua mole adhuc configuratus persistat, doloresq; per interualla repetant; quoniam homini non sicut cęteris animalibus pręfinitum, ac determinatum est pariendi tempus, vt Arist. nec non Hip. placuit, cũ aliquando nono mense, quandoque etiam decimo prægnãtem parere contingat; idcirco interrogabit de qualitate dolorum, vt si circa vmbilicum, & inguina inualescant, & ad lumborum vertebras pertingant, tunc partus initium iã adesse recte putabit; sed vt certior reddatur, nec vllo pacto decipiatur obstetrix, sua peruncta manu oleo sesamino, vel amigdalino intromissis digitis dextere ostiolum vteri pertingat, & si iã ita apertum ipsum os persentiat, vt digitum intromitti valeat, vel amplius, mulierem de proximo pariturã

pronun-

pronunciare poterit, & ad ſui officium illico ſe accingat. Prægnantem mulierem hortetur, vt in lecto decumbat, vt vires ſeruētur ad opportunum tempus, neque (vt nonnullæ imperitæ faciunt) parientem ipſam fruſtra fatigent, ſed ad opportunum tempus ſeruētur vires, vt mox dicetur, nam ſi temere parientem fatigauerint, antequam fuerit puer in caput reuolutus defeſſa tunc mulier erit, quando totis viribus adniti opus fuerit, & id periculi ſubibit, vt progreſſiuis illis motibus eundo impediatur puer in reuolutione ſua in caput, & membrum aliquod ad latera flectatur, & non naturalis partus occaſio detur, quod ſummopere cauendum erit. Sic igitur locata muliere in ſtrato, vel cubile iuxta ſedile, vel ſellam, ita ut nec ſupina protinus, neque ſedens extet, ſed erecto, & aliqualiter ſublimi dorſo, perita tunc obſtetrix denuo peruncta manu digito leniter, & dextere perſentiat, an vteri os adapertum magis cōperiat, & ſi cum hoc etiam craſſam humiditatem perfundi ſentiat, tunc iam membranas diſruptas eſſe, & cothilodines diſſolutos, & puerum adeo ſolutum, & liberum eſſe, vt ab vteri contentrice non amplius contineatur, ſed expultrix ad expellendum, infans ad exitum, mater ad opus adiuuandum inuicem ſe adnitantur, obſtetrix tunc uigilantiſſima eſſe debet, & primo pueri in caput uolutationem expectet, ut ad naturalem partum ſe accingat, aliud eſt ab ipſa expectandum, atque ſimul adiuuandum, ut uidelicet uteri os adeo deiſcat, & patefiat, ut infanti innoxius præſtetur in lucem exitus. Pueri in caput uoluta-

tio ex ſuis inditijs, & tactu etiam obſtetrix dignoſcere ualebit. Inditia aderunt quòd uentris ſuperiores partes contrahuntur, & concidunt, inferiores uero magis dilatantur, atque tenduntur; tactu uero certior tandẽ reddetur, ſi oleo ſeſamino, uel liliorum alborum perũcta manu iterum cautè, dextereq́; perſentiat, an caput cum aquæ illius perfuſione perſentiat, quod ſi perſenſerit, iam puerum in caput uolutũ ſenſata fide cognoſcet. Cauſam autem ob quam puer in caput ſe obuoluat, & ſic ad naturalem partum ſe accomodet Ariſt. eximius naturæ rimator perpulchrè explicauit in ſuo lib. 5. de gener. animalium cap. 9. ubi ſic inquit. Partus autem pronis in caput conuerſus fit per naturam animalibus omnibus, propterea quòd partem ab umbilico maiorem habeant, quam inferiorem, maiora autem plus ponderis continent. Itaque uelut in ſtatera dependentes eò uergunt, quò trahuntur. Hip. nec non in ſuo de nat. pueri 37. inquit; recedit autem in caput, ſi ſecundum naturam prodierit, grauiſſimæ enim ſunt ipſi ſupernæ partes, ſi ex umbilico propendantur; & Auic. hanc ſentẽtiam ſequutus ſuo lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2. inquit. Adiuuant ad conuerſionem grauitas ſuperiorum fœtus, & magnitudo capitis eius propria. Vbi autem obſtetrix caput iam apparere perſenſerit, ſciat quoque, quòd in naturali partu caput anterius apparet, manusq́;, & brachia ad ilia extẽſa ſunt, ut facilior ſic egreſſus (edocente natura) quod inter cæteros Paulus Aegineta figurans in ſuo lib. 3. cap. 26. inquit. Primum quidem, & præcipuũ embrij ſchema

in

in caput, manibus in femora diſpoſitis, & ne paululũ quidem perperam declinãs recta os uerſum caput porrigens. Secunda uero fœtus figura recta in pedes, ne tantillum quidem ab eo tramite declinans probatur: hæc Paulus. Iam igitur apparente capite infantis, uteriq; ore deiſcente, tunc obſtetrix ad ſecundum parturitionis ſtatum quamprimum, ſeduloq; ſe accingat, & ad miniſterium ſuum perficiendum ſummopere inuigilet, ut ſequenti cap. traditur.

Quid ab obſtetrice ſeruandum ſit in ſecundo partus tempore, & quid ab ea adminiſtrandum.

DOCVMENTVM QVARTVM.


NFANTIS capite ad os uteri apparente, & dilatato ipſius vteri ore, quamprimum obſtetrix parientem in ſella locabit omni cum cautela, & dexteritate, ne caput comprimatur, uel infantis mẽbra diſtorqueantur in ipſo motu. Summopere cauebit, nè (ut imperitæ ſolent) parientem ipſam in ſella collocet, priuſquam puer uerſus pudendum in caput reuolutus fuerit, quod tùm ex indicijs iam dictis, tùm etiam ſenſu tactus obſtetrix ipſa dignoſcere ualebit. Quæ namque obſtetrices ſecus faciunt, & ob imperitiam intempeſtiuè, ac temerè parientem in ſella locant, ipſam fatigant, quæ ad opportunum tempus uiribus indiget, & quod magis refert, hoc diſcrimen in-

de

de pendet, quòd infantis volutatio impeditur, vel quod ad non naturalem partum promoueatur. Perita igitur obstetrix opportuno tempore in sella sic locabit, vt vtrunque pudendum in cauum exeat, ita vt nõ impediatur, sed libera sit oris vteri, & ossis pubis, nec non partis illius posterioris, quæ ad caudam sacri ossis attinet dilatatio. Directa quoque sit parientis locatio, neque ad latera deflectat, sed directo ventre, & vtero, facilius infans viam sibi parare valeat, nec in obliquum, & ad latera infantis membra deuientur, vel distorqueantur, ex quo non leuia, tùm infantis, tũ matris pericula subsequuntur. A sedilis tergo validam habeat mulierem, quæ fortiter suis vlnis parientem sustineat, renesque, & dorsum adeo enixe contineat, vt in alterutrum latus non declinet. Sic locata pariente, obstetrix tunc coram ipsam in decliuiori loco sedeat, & adeò se accõmodet, vt facile circa pudendum parientis manus suas exercere valeat, & ex superiori ea parte infantem incolumiter adducere. In sedile sic locata pariente, & obstetrice decenter ad ministerium se accommodata, probeq; accincta, mirandũ illud aliud naturæ opus expectare debet, vt videlicet vteri os, & matricis collum adapertum adeò sit, atque dehiscat, vt illęsus infans sufficientis alimenti, & aeris cupidus in lucem exire valeat. Quo pacto autem opus id efficere natura possit, vt videlicet vteri os, quòd toto grauidationis tempore adeò occlusum perstitit, vt specilli acumen non admitteret, vt autores omnes attestantur; Adueniente partus hora in tantum aperiatur,

tur, atque dehiſcat, vt totus infans abſque læſione ali-
qua per id foramen, & eius collum egrediatur: mira-
ri poſſumus, intelligere non valemus, inquiebat Gal.
lib. 15. de vſu part. cap. 7. Auicen. verò lib. 3. fen. 21.
tract. 1. cap. 2. inquit. Et neceſſarium eſt, vt ſeparen-
tur quædam iuncturæ, & ſuſtententur adiutorio Dei
excelſi præparante, vel diſponente eas ad illud: dein-
de reuertente eas ex proximo ad continuationem na-
turalem, & paulo infra ſubdit: Quæ virtus non com-
prehenditur, & eſt hoc de ſecretis Dei; Sit ergo Deus
exaltatus, qui eſt rex verax, laudabilis, & benedictus,
& melior omnium factorum: hæc Auicenas. Interim
non deſiſtat diligens obſtetrix peruinctam manum in
pudendum admouere, denuóq; blande obſeruet, quã-
do pueri caput ad vteri collum iam deſcendiſſe appa-
reat: tunc temporis motrice infantis ſe ad exitũ adni-
tente, vteriq; excretrice expellente, parientem hortari
non deſinat, vt aere intus cohibito inferius pellendo
ad exitum adiuuet, & continuò adnitatur detentum
aerem verſus vterum propellere, quod quidem vali-
dius operabitur, ſi alterius circunſtantis mulieris hu-
merum, vel manum valide apprehenderit, atque con-
ſtringens, cõtentum intus ſpiritum ad inferiores par-
tes propulſare tunc adnitatur, cum dolores ipſam ap-
prehendent, & ſæuius exacerbabunt. Verum ſi ratio-
ne pueri grandiuſculum habentis caput, vel totius
corporis molem, aut ratione parientis cui ſit primus
partus retardaret infantis exitum, & laborioſus eſſet
partus, vel quia obeſa nimis eſſet mulier pariens, tunc

animoſa ſit obſtetrix, & parientem verbis conſoletur, & quod ore, & naribus occluſis aerem intus detentũ ad vterum propulſare pro viribus adnitatur hortari non deſinat, neque vereatur obſtetrix, nec timeat, ſi præcipue infantis caput primo obductum, & uiam ad ſui exitum cepiſſe iam immiſſa manu tactu perſenſerit. At obſtetrix tunc ad laxandas, emolliendas, & dilatandas partes, vteri ceruicem, atque os ſacrum dictum, eiuſque caudæ totam regionem hoc linimento perungat.


Rec. olei amigd. dulcium
Olei liliorum alborum } an. unc. j.
Butiri recentis
Pinguedinis gallinacei } an.unc.s.
Muſcillaginis althæ
Muſcillaginis fænu græci } an.dr.vj.

Miſce illinantur dictæ partes tepente hoc linimento; & ſi nihilominus prorogetur infantis exitus ob colli uteri anguſtiam, poterit quoque hoc fomẽto uti.

Rec.florum camomillæ
Meliloti
Maluarum } an.m.ij.
Seminis lini
Fenugreci an.unc.ij.
Aniſorum
Rad. liliorum alborum unc. j. s.
Baccarum uel corticis lauri unc. j.

Efferueant ſimul in iure ueruecis, in quo ſpongia mollis intingatur, & cum ipſa oſſis ſacri caudæq; regio, nec

gio, nec non pecten tepenter foueatur. Poterit quoque si tardaret partus, & mora longior esset, aquilinũ lapidem, uel etiam corallum dextero cruri alligare pro facilitando partu, sed orto puero, & educta secunda illico alligata hæc remoueri debent, & si mulier adeo timida fuerit, ut animo deficiat, liniantur nares, & tempora cum elixeruite, uel cum uino maluatico, & græco, in quo uino buccella panis intincta pro reparandis uiribus exhiberi poterit; & si fortasse aluus antea suppressa nimium fuerit, fæcesque ob id duriores effectæ impedimento fuerint, leni suppositorio uti poterit. Multa alia ab autoribus proponuntur præsidia, ut sunt pessi, suffumigia, insessiones, & alia similia, quæ ut suspecta, ne fætum suffocent à me nunquã probata fuere. Verum si legitimus, naturalisq; partus fuerit, superflua dubio procul eiusmodi præsidia erũt, si mulier præsertim, simulatq; obstetrix se gerant, ut supra docuimus naturæ siquidem beneficio, & opere, deoq; opt. maximo à quo cuncta bona procedunt sui gratiam conspirante, omnia bene succedent, & tùm matris partus, tùm pueri exitus incolumis, prospereq; sequetur. Infantem cum obstetrix omni cum dexteritate, blandeq; suo in gremio receperit, si secundæ mox cum infante procidant, sic obstetrix se gerere debet, ut in sequente docebitur.



Tertius parturitionis status. Quid sit ab obstetrice obseruandum & agendum.

DOCVMENTVM QVINTVM.



INFANTE iam in lucem edito, & in obstetricis gremio recepto, nõ amplius ut administra tantum, sed ut opifex ipsa obstetrix omni cum dexteritate, atque peritia officio suo fungi in tertio hoc partus statu profectò debebit. Si igitur secunda exitũ infantis sequuta fuerit, quamprimum vmbilicum abscindere debet, & à secunda separare: duplicatum filum capiat, & pollicis latitudine uincire debet, & caute fideliterq; obligando, & ab ipsa ligatura ultra quatuor digitos forcipibus incidat, & eo resecto lana sucida, uel petia linea conduplicata, & rosaceo calente intincta super recisum umbilicũ imponatur, & illud caudicis, quod ultra nexum remanet, uel cotone, uel molli linea petia obuolutum, ita super abdomen accõmodetur, ne fascia comprimatur, & sic donec pars nutrimento destituta flaccescat, & unà cum uinculo excidat. Quod si secundæ infantem sequutæ non fuerint, sed intus retentæ, obstetrix se gerere debet, ut sequenti cap. docebitur. In hoc tamen monenda est obstetrix, ut si illico orto infante ob labores in sui exitu, ut fere exanimatus uideatur; ut aliquando contingit, tunc perita obstetrix vmbilicale uinculum al-

tius prehendat, & vmbilicum versus (velut emungendo) tendat, ac vino in os sumpto in faciem infantis, & propè os, & nares ore suo exalet, & ipsi negotio incũbat, donec reuiuiscat.

Quid sit ab obstetrice agendum, si secundæ non procidant, & de infantis abluitione.

DOCVMENTVM SEXTVM.



SI secunda ad infantis exitum non subsequatur, sed intus retineatur in primis vtendum est ex Hipp. documento lib. 5. aph. 49. sternutatorio naribus apposito, & subinde dũ sternutatio promouebitur nares, & os manu apprehendantur, vt violentius aer ad vterum propulsetur, ad quod

Rec. castorei finissime pulnerizati.

Piperis albi, & nigri similiter pulnerizati.

Elleboris albi an. q. suff. fiat sternutatoriũ ex castoreo namque, & pipere laudatur ab Aetio pro educẽda secunda. Si vero ex sternutatorio secunda non proijciatur, quoniam aliquando vteri fundo coniuncta reperitur secunda, quandoque vero seiuncta est, idcirco obstetrix peruncta sinistra manu oleis, & pinguedine iam dictis, in vterumq; immissa, tentabit blande, an secunda vteri fundo adhereat, vel seiuncta sit: si seiuncta reperiatur instar pilæ cõuoluta circa aliquam vteri

partem, vt Aetius docet eam blande digitis extendat, & explicet, & directam trahere blande tentabit. Si verò difficultas adſit in educendo ipſam, & aliqua eductioni renitentia aderit, vt ſæpius cōtingit, tutius erit ab ipſo opere obſtetricem deſiſtere, nec ſecundam dilaniare, neque vteri partes iam attritas contrectatione laceſſire, & in tumorem attollere, ex quo inde nō leuia incommoda, periculaq; puerperæ ſubſequi ſolēt. Præterea ne puer ita ſordidus ab inſueto ambiente aere diutius permanens ledatur, & non abſque eius vitę diſpendio incommoda patiatur, nec non vt in partu ex labore fatigata, laſſataq; mulier aliquantiſper refocilletur, & vires reſumat, quamprimùm quæ ſuperius, dicta ſunt peractis, atque tentatis ijs quæ tentāda ſunt circa ſecundæ eductionem, expediendus erit puer ab appendiculo ſecundæ, & vmbilicus reſecandus erit, quo reſecto, vt ſupra eſt dictum, caudex inciſæ illius partis, quæ à ſecundis propendet cautè, & ex induſtria femori puerperæ adeò alligandus erit quominus fugere, & in fundum remeare valeat: nam ſi in vterum refugeret, ingentem noxam puerperæ, & vitæ diſpendium afferre ſolet. Caueant igitur imperitæ, vt caudicem ipſum recte, fideliterq; alligent, nè ob earum imperitiam puerpera periclitetur, vt ſæpius contingit ob mulierc ularum imperitiā, quæ ad hoc tam magni momenti officium temerè ſe accingunt. Reſecto vmbilico eo modo, quo præcedenti cap. oſtendimus, caudiciſq; reſiduo, quod à ſecunda pendet enixè femori diligenter

ligenter alligato, puerpera in cubile ducenda erit, decenterq; locanda, atque à vinculis extricatus puer abluendus, prout ſequenti capite docebitur.

Quid agendum ſit tùm circa puerum, tùm circa matrem reſecto vmbilico, & cum ſecundæ non procidant.

DOCVMENTVM VII.



MBILICO infanti reſecto propè ignem ipſe apportetur cauendo, ne in ignem ipſum inſpiciat, nec alia lumina, ne ab inſueto obiecto viſum adeo feriente ſubita intuitione ledátur oculi. Quamprimum abluendus erit, & à ſorditie partus detergendus. Mater vero in lecto locata paulisper interim quieſcat, donec ablutus fuerit infans, & in nutricis manibus delegatus. Obſtetrices peritiſſimæ nonnullæ ſunt, quæ ſalita tepente aqua nuper natos infantulos abluunt, & non abſque ratione quandoquidem Gal. 1. de ſanitate tuenda cap. 7. quántum ſalſedo ea conueniat oſtendens, ſic inquit. Ergo recens is natus infantulus, cuius corporis conſtitutio omni nota vacat, primum quidé faſcijs deligetur, ſed toti corpori prius ſale modicè inſperſo, quo cutis eius denſior, ſolidiorq; ijs quæ intus ſunt partibus reddatur, & quæ ſequuntur. Aliæ vero infantem oleo roſaceo prius inungunt, mox tepente aqua portiuncula

vini admixta abluunt. Aliquæ vero, vt detergant vitellum qui accipiunt. Nonnullæ etiam in ipsa ablutione ſiccas roſis incoquunt, & ſic per quatuor dies inſequuntur, vt ſi qua pars tenelli corpuſculi contuſa in partu fuerit, vel quoquo modo preſſa dictis lotionibus digeratur, & partibus robur indatur. Deinceps lotiones ſubſequantur prout in cap. de ſanitate tuenda fuit iam dictum, ſic loto infante, & linteamine, faſciaq; obuoluto brachijs prius, & manibus ad coxas extenſis, & cruribus, pedibusq; pariter protenſis, obſtetrix tũc melle hiſpano, vel alio ex optimo intinctũ digitũ ori infantis imponat, linguamq;, & palatum illiniat, vt à recrementis facilius repurgetur, & alimẽti vias ſuggẽdo iam exercere incipiat. His circa infantem probe adminiſtratis, & in cuna, vel lectulo eo locato, quamprimum obſtetrix puerperę negotio incũbat, & omni ope, & ſtudio ſe conuertat.

De reaſumendis puerperæ viribus à reſecto vmbilico, & educenda ſecunda.

DOCVMENTVM VIII.



VBI puerpera in cubile ſuo locata fuerit, & pauliſper quieuerit donec infantis negotio prouiſum fuerit, mulier ſic ex partus laboribus laxata, atque defeſſis viribus curabit obſtetrix, vt refocilletur eiusq; vires reaſumantur, ut ad ſecundam educendam

ualidè

ualidè rursus adnitti ualeat, ipsam igitur nutriat, uel recentibus sorbilibus ouis, uel optimo iure capi, uel contuso carnis eiusdem cum seminibus, uel melonis, uel cucumeris, necnon pineis si oportuerit cōdito, & zaccharo dulcorato. Ab assumpto coctu facile cibo in cubile ipso postquā paulisper quieuerit, donec paucus ille sumptus cibus coctus fuerit, uel digestus mulier sic locetur, ut ceruix spatulæq; ac dorsus altiori loco situentur, dilatatis coxis, pedibusq; ad eas reflexis, obstetrix uero decliuiori loco se adaptabit, & inūcta sinistra manu in dictis oleis, & pinguedine tētabit iterum, an per collum descensa fuerit secunda, sin autem descensa non fuerit abscissum ab umbilico caudicem insequens, secūdam manu pertingat, ipsam manu apprehensam non directe trahat, sed hac, & illac blāde dimouendo ipsam trahere tentabit si cedat, sin minus non erit amplius contrectanda, neque uiolenter trahenda, uel dilanianda, ne simul uterus procidat, uel neruosæ illæ partes, vel ligamentorū aliquod perfringatur, vnde sanguinis fiat effusio, vel eius putrefactio, vel corruptio sequatur, & inde abscessus, vel cancer, vt ob imperitiam obstetricum, vel chirurgorum contingere solet. Verum si forte contingeret quod viæ vteri angustiores effectę essent, à recepto frigidiori in partu aere, vel ob sanguinis subsequutam effusionē, in vtroque casu obstetrix balneatione hac vtatur; videlicet

Rec. maluam, camomelum, melilotum, lini semē, fœnum græcum an. q. suff.

Ferueant

Ferueant in iure ueruecis, vel capi pinguioris, & cũ hoc decocto, & tertia parte olei cherini, vel amigdalarum dulcium addita, fiat ablutio ſimul, ac fomentatio cum ſpongia pudendis admota; hoc ſiquidem præſidio non modo frigefactæ partes calefient, & exſiccatę humectabuntur, ſed laſſabitur ſecunda, & ſi forte intumuerint vteri partes valde hoc proderit, & ad ipſius ſecundæ exitum non parum adiuuabit. Si his pręſidijs extrinſecus adhibitis ſecunda non procidat, hæc alia per os ſumenda tentabit.

Rec. trociſcorum de mirra ſcr.ij.

Cum vino maluatico vel græco exhibeatur ſequẽti mane per horas quatuor ante cibum; vel ſic

Rec. trociſcorum de carabe, & eo magis ſi ſanguis affatim efflueret dr.j. exhibe in vino, vt ſupra, quo præſidio eſt præcipue vtendum, vbi de nimio ſanguinis effluxu concitando vereatur, vel ſic

Rec. ſucci boraginis facta reſidentia depurati unc. iij. s. exhibeatur tepenter ad tres horas minus ante cibum:

Non deſunt autores celebratiſſimi, qui dicũt quòd ſi granum ariſtolochiæ rotundæ femori alligetur, ad ſecundas educendas ualere, At ſi forte contingeret qđ ſingulis pręſidijs iam traditis, & tùm obſtetricis, tùm etiam medicorum omni ingenio, & ope ſecundę non exeãt, ſed intus retineantur, quia præſertim vteri fundo pertinaciter inhereant, vt non raro contingere ſolet, non erit ob id formidãdum, quia paulatim putreſcens ex ſe ipſa decidet, & puerpera liberabitur, eritq;

via

via hæc profectò melior, ac tuta magis, quàm secundam ipsam dilaniare, & ab vtero violenter manu discerpere cum non leui vitæ dispendio ipsius enixæ ob traditas superius causas; sic Paulus Aegineta monuit lib.6.cap.75.ita quoque Aetius cōsuluit serm.16.cap.24. Sic antea quoque Hipp.peruulgauit in suo primo de morb.mulierum nu.76. & Auic.lib.3.fen.21.cap.16.inquit. Et si non egreditur secundina, istis rebus tunc non sollicitemus, ex hoc ipsa enim post dies paucos resoluetur, & curret, sicut currit aquositas sanguinis. Verum quia hoc tempore dum putrescit caput replet, & tetri odoris grauitate stomacum peruertit, idcirco iugiter odorata, & quæ subducendi secundam facultatem habent supponenda erunt; vt

Rec.bdelium, calaminta, sabina, thus, stirax, vnguis odoratus, lapis gagates, aristolochiæ vtriusque semina an. q. sufficit, supra carbones inijciantur, & muliere in sella sedente, pannisq; circumtecta vterus suffumigetur, vel fiat sic

Rec. calamintæ, pulegij, sabinæ, arthemisiæ, dictami, radicum vtriusque aristolochiæ, ireos siccæ, iunci odorati, radicum maluarum, altheæ an.quantum vis; ferueant in olla, cum quo decocto fiat euaporatio, cui mulier insideat vndique pannis contecta, vt fumus, & uapor ab utero cōmode recipiatur; præsidium eiusmodi ab Aetio, & Paulo satis laudatur. Poterit quoque puerpera, si secunda intus retenta iam putrescat, vt ea noxia corrigatur, quæ cerebro, & cordi, atque vētriculo per prauos uapores communicari solet, ac-

cipere vnam ex tassellis; vt infra sic

Rec. specierum diamargaritonis. }
Specierum pliris arcotici. } an.dr. s.
Zaccari albi dissoluti in stillatitio cinamomi dr. x
Fiant tassellæ ex arte, de quibus capiat scr. ij. uel dr. j. pro uice, & haustulum uini superbibat. Et hęc de legitimo, & naturali partu.

Ad dolores post partum contingentes.

DOCVMENTVM IX.



POST partum creberrimi dolores, atque non leues puerperam cruciari solent, quorum binæ assignantur causæ, una uidelicet uteri, & totius alui perfrictio ob passos in partu labores: alia vero est illud ob menstrui sanguinis, & puerperij dum retinetur, vel dum effluit eius acredine, & mordacitate dolores, & ipsa tormina induit. In curatione dolores, & tormina sui leuamen indicát, causa autem sui ablationem exposcit. Si igitur prout decet menses, & puerperia euacuentur, id totum est naturæ permittendum, si uero retineantur, uel lente nimium, & diminute effluant, sic natura ad ipsum motum adiuuanda erit; vt videlicet.

Rec. decocti aniforum, cinamomi, radicũ petrosellinarum an. q. suff. Ferueant in brodio capi ad exactam coctionem, de quo iure.

Rec.

Rec. unc.v. Zaccaro dulcoretur, & tepide in aurora exhibeatur; uel sic

Rec. decocti iam dicti unc.v.
Specierum diacymini.
Nucis muſcatæ finiſſime pulueriʒatæ an.ſcr.j.
Croci gran.ij.
Miſce capiat, ut ſupra.

Verum quoniam dolor ad ſe omnem curã trahit, in primis ad ſedanda tormina ſumatur ſic;

Rec. ſucci amig. dulcium abſque igne recenter extracti unc.iij. s.
Vini maluatici, uel græci unc.j.s.

Præmittatur uinum in cyato, & deſuper oleum infundatur, & enixæ exhibeatur per tres, uel quatuor horas ante cibum;& ſi nihilominus dolores urgerent.

Rec. olei cherini unc.iij. intingantur petiæ lineæ, & uentri calentes applicentur; uel fiat ſic

Rec. pellem arietis, uel ueruecis ex animali citiſſime extractam prope talamũ puerperæ, & abiecto capite, & cæteris extremitatibus, pelle ipſa adhuc calente totus venter, iliaq;, & dorſus parte interna circundentur. Hoc præſidio utuntur gallicæ mulieres, & à Ioanne Lebone in ſua praxi celebratur, & in hac urbe à Magnatibus feliciſſimo ſucceſſu fuit uſum.



Ad

Ad febres ex lacte post partum.

DOCVMENTVM X.



OLENT puerperæ ob lactis exuberã-tiam in uberibus dolore, & febriculis uexari, quibus ſic ſubuenitur;

Recip. croci dr. j. ligetur collo, & ad mamillas ſuſpendatur, vel ſic.

Rec. piſciculum exſiccatum, qui dicitur Hippocã-pus, uel equus marinus, & ſic aridus collo, & mammil lis appenditur. Lac namque hoc præſidio fugatur, & cum puerperijs per vterum repurgatur.

De partu non naturali, & quotupliciter à naturali decedere contingat.

DOCVMENTVM XI.



E naturali partu dum egerimus, cum uidelicet puer in caput, manibus, & bra chijs ad femora protenſis oritur, modò de non naturalis, & uitioſi partus for-mis prodeuntibus agendum uidetur. Non naturalis dicitur partus, quoties non dicta figu-ra, ſed ab ea diuerſa quomodolibet appareat, ut ſi am-bo pedes, uel unus tantum, & ſi una tantum manus, & brachium appareat, uel ſi conduplicatus infantis

venter

venter ori vteri, vel nates appareant, vel alterutrum latus. Causæ ut partus figuræ sic vitientur, geminæ ab Auicen. traduntur in lib. 3. fen. 21. vel videlicet propter corruptionē motus embrionis, vel propter multitudinem inquietudinis parturientis. Caueant igitur obstetrices, & assistentes mulieres, vt recte parientem in sedile, ac etiam in cubile collocent, & caueat ipsa pariens, nè in latus distorqueatur, & patientissima sit, & obediens, nè in eius vtero in discrimen suimet puerus distorqueatur, & à recto itinere deuietur. Quo pacto vero prouidendum sit, vt non naturalis ad naturalem partum reducatur, Paulus Aegineta in vniuersum docet sic, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agēdo. Aetius nec non sermone 16. inquit. Hæc omnia de muliere ęgre pariente medicum percūctari ex obstetrice oportet, nec temere ad chirurgiam progredi: Neque vero obstetrici permittendum est, ut uterum diutius dilaniet, & paucis interpositis subdidit. Si vero totius fœtus figura mala fuerit, prius ab osculo vteri in sublime eleuetur, & postea rursus ad osculum recta dirigatur, fiuntq; omnia placide, leniterq; ac citra compressionem oleo assidue locis affuso. Hoc enim ex salute tùm fœtus, tùm parientis fuerit, & vterus ita illęsus manet. Hæc de prouisione, quæ in vniuersum singulo vitioso partui debetur: mox ad particularem cuiusque descendamus. In primis de eo non naturali partu agamus, in quo puer in pedes oritur. Partus eiusmodi si manus, & brachia ad femora protensa

tensa fuerint, à Paulo Aegineta naturalis censetur; quam opinionem sectatus quoque est inter recẽtiores Arnaldus de Villanoua. Aetius vero licet inter non naturales partus hũc referat, nihilominus minus suspectum esse attestatur. Obstetrix igitur oleis peruncta manu, & pudendo parietis immissa, curet omni debita dexteritate, & uigilantia, ut manus, & brachia à fæmoribus non distrahantur, sed recta ad ipsa femora protensa seruentur apprendendo ipsa, & firmiter tenendo, nè retrorsum abducantur, sed uterum excretrice impellendo, & pariente spiritus cohibitione infra se admittente, & obstetrice coadiuuante ea forma puer in lucem incolumis Deo benedicto fauẽte progrediatur. orto sic infante, cetera fieri, & administrari debent, ut de partu naturali de singulis docetur.

De vitioso partu, quando vnico tantum pede infans apparet altero intus retracto.

DOCVMENTVM XII.



SI vnicus pes tantum ad uteri os appareat, perdifficile sanè opus consequitur, quandoquidem ubi inferius prodire pedes percipiũtur, in sublime ipsos reflectere, caputq; deorsum difficillimum profectò sit, ac uerbis proferre longe facilius, quàm opere perficere existat. Verum si figuratio hæc

manus,

manus,& brachia ad ſemora protenſa habuerit; ut de præcedente eſt dictum, ad minus vitioſam, minusq́; ſuſpectam partus figuram reduci poterit: & idcirco duo ſunt ab obſtetrice perueſtiganda. Primum eſt ſi pes alius intus non longe abſit ab illo qui prodit, adeoquòd apprendi, & ipſum blande trahendo aliò prodeunte ęquare valeat. Secundum eſt, vt obſtetrix ipſa perquirat an manus, & brachia ad ſemora ſint protēſa, vt ſupra eſt dictum, & ſi ſic reperiatur tutius erit, ſi ab obſtetrice reperto, & blande tracto abſcondito pede, & ſimul ambobus adheſis, eo modo partus pergat, & cætera ab obſtetrice perficiantur, vt de præcedente eſt dictum. Si vero forte cōtingat, quòd abſconditus pes longius ſit, quàm recte trahi, & alteri æquari valeat, vel ſi brachia, & manus in altum, vel quoquo verſum diſtracta ſint, tunc ſalubre magis fuerit, atque conſulto potius egreſſum pedem in vterum ſic repellere: pariens in lecto locetur, retro reflexo capite, ſcapulisq́;, & natibus in ſublime elatis, & tunc perita obſtetrix extenſa manu ſupra parientis abdomen leui compreſſione ad accommodum partū puerum adiuuet, & manu pellat, prout expedire vſus videbitur. Cum ſic per aliquod ſpatium permanſerit, ad conſuetum ſitum obſtetrix mulierē redire faciat, capite videlicet, & dorſo in ſublime eleuatis, nates in decliuiori loco locentur, & tunc dilatatis coxis, & ad eas pedibus, cruribusq́; reflexis, atque retractis, tunc perūctis digitis tentet obſtetrix qua figura fuerit puer reuolutus, & ſi forte fortuna in caput reuoluatur, tūc

Deo fauente partui incumbat, & eadem perficiat, vt de naturali partu est dictum. Si verò in pedes similiter sequatur protensis prius ad femora manibus, & brachijs tétabit obstetrix occultum pedem reperire, & blande repertum trahere, quousque cum alio pede iam prægresso æquetur, & sic ęquis pedibus sequatur partus, & singula ab obstetrice perficiantur, quę orto infante perfici debent, vt de naturali partu est dictũ.

De vitioso, & non naturali partu cum manus vnica tantum extra vteri os apparet.

DOCVMENTVM XIII.



SI manus in partu in primis appareat, non est trahenda, vt Aetius monet, verum digitis humero infantis dextere admotis, manum ipsam, & brachium in conueniẽtem locum introducatur. Ita quoque inquit Paulus Aegineta lib. 3. cap. 76. vel si ob loci angustiam difficultas adsit in intromittẽdo manum, & brachium infantis, mulier tũc in lecto locetur sic, vt in altum eleuetur anus, sed caput, ac spatulæ decliuiori loco situentur, vt commode intus remeet manus, & tunc obstetrix digitis ad pueri humerum admotis, brachiũ iuxta femur accommodet, vt in caput naturali figura oriatur puer, in quo partu singula ab obstetrice peragi debẽt, vt de naturali partu explicatum fuit, tùm de ijs quæ circa ortum puerum,

rum, tùm etiam de his quæ circa puerperam ſunt peragenda.

De vitioſo partu cum ambæ manus apparent ad exitum præcedere caput.

DOCVMENTVM XIIII.



CVM in partu ad vteri os, vel per matricis collum ambæ manus præcedũt, & ad exitum ſe parant, vitioſus vtique, & laborioſus eſſet nimis partus, & periculo minime vacans obſtetrix diligentiſſima hoc adueniente caſu exiſtat, & quia cereæ ſunt, nimiumq; tenellæ fœtus partes, vt Gal. inquit, idcirco caueat, nè infantis manus, eiusq; brachia, ſuis manibus apprehendat, neque contrectet niſi cautè, & omni cum dexteritate, ne ob teneritudinẽ laſſentur, vel diſtorqueantur, ſed locata muliere in ſtrato propè ſedile, vel propè ſellam, vt ſupra eſt dictum, ita ſupina locetur, vt promineant nates, & coxæ, ſublimioresq; ſint, caput autem, & dorſus decliuius inclinent, & dilatatis coxis, atque reflexis cruribus curet obſtetrix, vt pueri manus in vtero regrediantur, quibus intus regreſſis, obſtetrix tunc ſuis perunctis manibus utrũq; humerum pertingat, & blandè, paulatimq; verſus femora, brachia, & manus extendat, ac rectè accommodet, ſic namque partus Deo adiuuante ad naturalem redigetur, & puer tutò orietur; quo in lucem

edito singula perita obstetrix operabitur, prout suo loco de naturali partu est dictum.

De vitioso, & non naturali partu cum puer conduplicatus exit.

DOCVMENTVM XV.



VER conduplicatus multipliciter in partu ad os vteri se profert, vel enim anterius conduplicatur in abdomine, & manibus, pedibusq; ad vteri ostiū se vergit, vel eleuatis coxis ad os vteri procidit, vel flexa genua ad uteri ostium uergit. Sub quibus figuris uitiosus, admodumq; laboriosus sequeretur partus, si eiusmodi vitia obstetricali arte nó corrigantur; & in primis de vitioso partu agamus cū ambo manus, & pedes ad vteri ostium apparēt, adeò namque uitiosa est hęc partus figura, ut impossibile sit partum ipsum sequi absque tùm pueri, tùm etiam matris uitæ dispendio. Quo uero pacto prouidendum sit, ut huiusmodi corrigatur error, non desunt qui doceant. O' utinam sic facile opus arduum perfici ab obstetrice ualeret, ut ab autoribns facile uerbis designatur: subiectum namque est fætus corpusculum in summa teneritudine constitutum, corpusculi membra veluti cerea sunt, & ad animalem motum minus apta, ipsorumq; vita ex leui quapiam occasione extinguibilis existit, modo autem in arcto

adeò

adeò uteri loco, in quo velut in cęco carcere per plures menses conglobatus, & in se contractus perstitit intricatus tunc, & veluti irretitus cum sit, & à natura, si partu deuiauerit obstetricis auxilio quàm maxime indiget. Verum cum manibus ipsis, & pedibus occluso vteri ostio vnicam intromittere manum obstetrici vix liceat, ad illud exercendum opus, quod in angusto ipso, & obscuro loco, vbi oculorum intuitus minime pertingit, ambas manus requireret, vterus vero cum maxime sensibilis existat, & tunc temporis ab ingentibus, sęuissimisq; doloribus torqueri, ac dilaniari contingat, & afflicto afflictionem addere impium sit, neque valeat sic defessa mulier vlterius labores absque vitæ eius dispendio sufferre; quantũ sit arduum eiusmodi opus, & quantum periculi afferant vndiq; manantes angustiæ latissime patet. Nihilominus tùm obstetrix, tùm etiam medicus recordari debent, quantum sit natura sagax, & in admirandis suis operibus nunquam deficiens, & continuò sic in Deo opt. maximo sperandum, qui cum summus sit opifex, sine labore cuncta regit, & mira cum prouidentia gubernat, vt Arist. inquit in suo lib. de mundo ad Alexandrum Macedoniæ Regem. Deo benedicto igitur, & Beatissimæ virgini mulieres preces fundant, & in eius auxilio confidant. Obstetrix igitur se ad opus accingens caueat, ne in eiusmodi laboribus perterrito vultu parientis faciem inspiciat, quemmadmodum, & cæteræ assistentes mulieres. Quamprimum igitur cum infantem senserit in manus, &

pedes prodire, tunc è ſedile mulierem auferat, ſi in ſedile tunc locata fuerit, & in ſtrato prope ipſam locetur omnî tamen adhibita cautela: locabitur ſic, vt ſupina iaceat, & decliuiori loco capite, & dorſo ſituetur, in ſublime uero nates, & coxæ ſubleuentur, vt antea dictum fuit; ſic locata tentet ſubinde obſtetrix omni cum dexteritate, blandeq́;, vt intus regrediantur manus & pedes pueri, atque interim cautè ac blādè parientem ipſam conuolutando quoquo uerſum expedire nouerit, manuq́; dextera parientis abdomine extenſa, qua parte expedire videbitur, ibi ſenſim comprimat, atque blandè compellat, ſiniſtra alia manu interim in vterum immiſſa, pueri ad commodum locum membra ſurſum eleuando, quæ poſterius prodire debent, & inferius, quæ primo viam capere debent, manusq́;, & brachia ad ilia adherendo in quantum poterit illęſo vtero, ſimulac infante, ad naturalem partum ipſum accōmodare omni ingenio curabit, nàm ſic proſpere cuncta ſuccedent: ſi vero difficultas aderit in eleuando ſuperius inferiores partes, vtpotè crura, & pedes faciliuſque obſtetrici fuerit, & tuto magis infantem cum pretenſis ad femora, & brachijs, manibusq́; in pedes ab vtero trahere, neque naturæ alienum hoc nimis fuerit, idcirco ad hoc moliendum improperabit, & in ſingulis ſe geret, vt de prima non naturali figura dictum fuit.




De vi-

De vitioso partu cum puer anterius conduplicatus natibus ad partum procidit.

DOCVMENTVM XVI.



I natibus infans ad ſui partum procidat, à naturali partu multum deuiabit, & labore non leui, ac periculo minime vacabit: perita igitur obſtetrix ſiniſtra peruncta manu, & in vterum immiſſa anum infantis in altum ſubleuare blandè, cauteq; curabit, vt caput ſimul inferius ad exitum procidat, manus, & brachia ad ilia extendendo. Et ſi defeſſa fuerit pariens, & refocillatione indigeat, in ſtratu locanda erit, & alimento aliquo reaſumptis parientis viribus, obſtetrix ab opere non deſiſtat, quouſque puer ad commodam partus figuram reducatur. Verum ſi cum omni ſtudio, & opere ab obſtetrice adhibito infantem in caput vertere non valeat, ſed facilius in pedes ipſum vertere fuerit, id deniq; tentabit, quod tutius pro puero oriundo, ac pro ipſa parienti ſubſequi valebit; vbi autem, uel in caput, uel in pedes manibus ad ilia extenſis cõuerſus fuerit puer, ſingula deinceps adminiſtranda erunt, atque perficienda, prout de quolibet ſuo loco dictum fuit.



De vitioso partu cum infans vtroque genu ad nates pedibus conduplicatus in partum procidit.

DOCVMENTVM XVII.



IGVRA hæc difficilem partum fore ostendit cum caput erectum in sublime habeat, & ad vteri ostium flexa genua declinare percipiantur. Ad naturalem partum igitur cũ minime reduci valeat ob erectas superiores partes, idcirco ex vitiosis, prauisq; figuris minus praua seligenda erit, & quæ ad naturalem propius accedat, & erit conuersio in pedes, quæ faciliori negotio, tutiusq; succedet. Obstetrix perita igitur blandè in vterum dextera inserta manu, utrunque genu sursum impellat, ac eleuet, quousque paulatim ijs directis, atque extensis inferius pedes ad vteri ostium prorumpi cõtingat, manibus interim circa latera seruatis, sinistra tunc ambos pedes pręhendat, & puerum ad exitum omni cũ dexteritate properabit, singulaq; subinde operetur, atque perficiat obstetrix, prout de naturali partu est dictum, tùm circa infantem, quemmadmodum & circa puerperam. Et hæc de naturali partu, perinde ac de non naturali dicta sufficiant.

Finis Secundi Tractatus.

IACOBI TRVNCONII MEDICI AC PHILOSOPHI.

Tractatus Tertius.

De conseruanda sanitate Infantis in manu Nutricis.

CAPVT PRIMVM.

Infantem in lucem ortum Nutrici & alicui Artis Medicæ perito quamprimum delegandum esse.



RTO iam infante, singulisq; ab obstetrice diligenter circa ipsum administratis, selectæ nutrici tunc curam, & eius regimen profecto committere licebit quæ ipsum alat, & singulorũ operum, quæ ad eius uictus rationem exposcuntur administra sit uigilantissima. Verum cum multæ, uariæq; sint externarũ rerum extrinsecus nobis occursantium causæ; à quarum iniurijs continuo lacessimur, & quod longe magis calamitosum est uitæ nostræ, non modo ab externis iniurijs, sed intus qui est nobis congenitus, familiarissimusq; calor, quo tan-

quam

quam primo instrũ alimur, nostraq; tuetur, ac regitur vita, is nihilominus natiuam in nobis humiditatem continuo depascendo, se ipsum, ac vitam nostram simul destruit, ac tandem extinguit. Qua de re cum perdifficile sit tot iniuriarũ retia, quę vndiq; nobis tenduntur defugere, optima ratione medendi ars necessario inuenta, exculptaq; fuit, vt qui in arte ipsa eruditus fuerit, quæ præsens est sanitas eandem tueri, atque seruare, quæ vero amissa fuerit, eandem restituere ipsa medendi arte valeat. Igitur cuiusq; infantis, cuius sanitatis conseruatio exoptatur alicui in arte perito cura hæc deleganda iure merito fuerit, vt in singulis operibus ad infantis regimen attinentibus nutricem ipsam instruat, opifex vero existat in ijs quę medicinæ artis negotium exposcunt. Et quoniam de sanitate infantium conseruanda est pręsentis tractatus intentio, in primis quid sanitas sit, sequenti capite ostendetur.

Quid sanitas, & quotuplex ea sit, eamque magnam habere latitudinem.

CAPVT SECVNDVM.

CVM medicinæ artis Gal. binas cõstituisset partes in suo 1. de sanit. tuen. alteram videlicet sanitatis tuendæ, alteramq; morbi profligandi facultatem appellasset, inferius subdit: Vtriusque facultatis inueniendæ communis ratio est, vt quidnam ea cor-

poris

poris affectio ſit, quæ ſanitas dicitur liquido conſtet: quandoquidem nec præſentem ſeruare, neque amiſſam recuperare ſi quæ ea ſit penitus ignorare licet: & inferius ſubdens inquit, oſtendimusq; ſimilarium quas vocant partium ſanitatem, calidi, frigidi, humidi, ſicci ſimmetriam, ideſt conuenientiam inter ſe quandam eſſe, inſtrumentalium verò ex ſimiliarium ipſarum compoſitione, numero, magnitudine, figuraq; conſtare. Alia quoque ſanitatis definitio ab eodem Gal. traditur cit. lib. cap. 5. vbi inquit, ſanitas eſt ſimmetria quædam, quæ duplex exiſtit, & differentias ipſius explicat, inquiens hæc quidem exacta, optima, abſoluta, & ſumma, alia paulo ab hac deficiens non tamen eatenus, vt animali ſit grauis; ſanitas quæ ab optima deficit, non paruam habet latitudinem, vt ipſemet Gal. teſtatur cit. lib. cap. 4. & 5. & quod in latitudine ipſa variæ, multæq; ſanitatum differentiæ includuntur, inquit namque cit. loco; ſi ergo omnium qui ſani ſunt membrorum conſtitutio in ſimmetria conſiſtit, conſtitutiones autem ipſæ variæ ſunt, quandoquidem functiones ſunt variæ, vtiq; multæ, variæq; ipſarum conſtitutionum ſimmetriæ erunt, quare etiam ſanitates multæ, variæq; non ipſa communi omnium forma unde dictæ ſanitates ſunt, ſed maioris, minoriſque ratione inter ſe diſſidentes. Conſtat igitur ex Gal. placitis, quod certus, & definitus ipſarum numerus, nõ eſt temere pronuntiandus, quandoquidem imperueſtigabiles gradus ſic erunt, quibus certò illæ intemperantiæ à Gal. paſſim traditæ deſi-

tæ deſi-

tæ deſignari, vel conſtitui valebunt. ſed concludamus tandem ſecundum Gal. doctrinam, quod tota ſanitatis latitudo in tres diuidatur partes, quarum ſingulæ non paruam habent vlteriorem latitudinem, quarum prima pars ſalubriũ eſt corporum, ſecunda neutrorum, tertia inſalubrium vt Gal. ipſe eſt autor in arte medica cap. 8. Singula hæc igitur recolligendo dicimus, ſanitatem ſimmetriam quandam eſſe illius hominis, in quo reperitur, quæ ſimmetria cum homini ipſi conueniens proportio, & equalitas ſit cuiuſque compoſitionis, quæ in ipſo reperitur; in quolibet vero homine triplex comperiatur compoſitio, prima uidelicet ex quatuor elementorum qualitatibus, & eſt in temperamẽto eſſentiali, ſiue indiuiduali dicto cuius nouem numero temperaturas Gal. tradidit; ſecunda eſt in ſtructura partium, quæ fit ex ſimilaribus. Tertia eſt in partium vnitate. Penes hæc tria genera compoſitionis tres dãtur equalitates in quolibet homine quouſque eius functiones inculpatæ, & abſque uitio edantur, ſic autem inculpatæ erunt, dum equalitates ipſæ ſeruabuntur, at ſi quælibet earũ equalitas perfringatur, vitiabuntur functiones, & ſanitatis in ægritudinem fiet commutatio.

Quot modis ſanitas vitiari contingat.

CAPVT TERTIVM.

QVANDOQVIDEM conſeruabitur cuiuſque ſanitas, ſi is qui talem ſuſceperit curam

modos

modos omnes quibus ea vitiatur compertos prius habuerit, vt Gal. monet citato nuper loco, sciendum idcirco est quod sanitas triplici modo vitiari cõtigit. Primo modo si similiarium eucrasia, quæ in quatuor qualitatum temperatura consistit, ęqualitas videlicet ipsi cui inerit homini conueniens, & naturalis, à naturæ suæ modo recesserit, & ad intemperantiam labatur, ita vt eius functiones, vitiari contingat, & ad ęgritudinem tendat, velut iam ægritudo ipsa accersita fuerit. Secundo modo vitiari contingit sanitas, si instrumenti cuiuspiam compositio, vel suæ æqualitatis ratio perfringatur. Tertio modo vero si utrarumq; partium videlicet, vel similarium, vel compositarum continuum dissolui, & eius naturalem æqualitatem perfringi cõtigerit, tunc siquidem vtriusque functiones necessario incommodantur, & idcirco communis morbus dicetur. At quæ sint causæ quibus sanitas vitiatur, & quæ sint signa quæ ipsam vitiatã ostẽdunt, in sequentibus, & suo loco dicetur.

Prima genera explicantur circa quæ is qui sanitatem infantis alicuius tueri studebit, suam exordiri debeat exercitationem.

CAPVT QVARTVM.

CVM pręsentis tractatus finis sit infantium sanitatem tueri, & idcirco artem qua id assequi curator quisque valeat, edocere hoc opere intẽdatur,

explicato quid ſit ſanitas, & quotuplex ea ſit, & quod magnam habeat latitudinem, nec non cum viderimus quot modis ſanitas ipſa vitiari contingat, expedit modo ea prima genera oſtendere circa quæ is qui cuſtodire intendit, ſuam exercitationem exordiri, ac deinceps eandem perficere valeat. Quæ autem ea ſint Gal. oſtendit 1. de ſanit. tu. cap. 15. vbi inquit. In tribus namque generibus ſanitatis tuendæ ſtudium, æque, ac medendi methodus cõſiſtit, corporibus videlicet, cauſis, & ſignis. Vt igitur iam poſita vniuerſalia mox particularibus applicare incipiamus, in primis quid circa corpus cuſtodiendum explorandum ſit, ab eo qui talem ſuſceperit curã, & deinceps quid circa cauſas, & ſigna ſeriatim ſuo loco oſtendetur.

Quid circa corpus, cuius ſanitas cuſtodiri debet ſit explorandum.

CAPVT QVINTVM.



IN primis, vt ad particularia deſcendamus, debet qui tali negotio præfuerit; perueſtigare quoad ipſi licebit, quæ ſit infantis natura, vt quæ ſit æqualitas, tùm eius temperaturæ, tùm compoſitionis, ſimulac partium vnitatis, quas æqualitates ab ortu infans adeptus fuit, in quibus æqualitatibus eius ſanitas conſiſtit: in temperatura namque expendendum erit, ſub qua ex illis quæ nu. 9. à Gal. & cæteris

autho-

authoribus ſtatuuntur, locanda ſit temperies tùm hepatis, tùm etiam cordis, atque cerebri, nec non ventriculi ipſius infantis; nam cognito ſingularum iſtarū principum partium temperamēto haud difficile fuerit totius quoque temperamentum compertum habere. In compoſitione autem perueſtigari debet ſi adeſt debita partium conformatio, ſi debita, & condecens magnitudo, ſi ſufficiens naturæ numerus, & ſi earum partium ſitus ſit conueniens, adeo vt compoſitio illa debitam figuram, & condecentem habitudinem à natura exculptam proferat. In vnitate partium ſi partes ipſę recte vniuntur, & in ſoluta perſiſtit ipſarum continuitas. His exploratis, obſeruabit pariter quæ ſit eius conſuetudo, vt dormiendi, uigilandi, & meiendi, nec nō egerendi, & eius lactandi temporis. Et quoniam indiuidui natura per doctrinarum aliquam explorare non licet, ſed per ſigna venanda ſit quæ ſenſibus ſe præbent, idcirco ad ſignorum genus quibus infantis naturam probe dignoſcere quiſque ualeat modo accedamus.

Quid circa ſignorum genus ſit perueſtigandum.

CAPVT SEXTVM.

CVM ſignorum genus unum ſit eorum in quibus ſanitatis tuendæ ſtudium ęque, ac medendi methodus conſiſtit: & cum ſupra uiderimus quid circa aliud genus corporis ſit perueſtigādum, id uero

ſit in-

ſit infantis natura, & illius ab ortu adeptæ temperaturæ æqualitas, in qua eius ſanitas conſiſtit, ſimulac functionum integritas, & cum natura hæc, & temperaturæ æqualitas indiuidui ſit, & indiuidui per doctrinarum methodũ cognitionem adipiſci minime liceat, liceat uero per ſigna, ſenſuq; procedendo eiuſmodi nanciſci cognitionem, expedit idcirco, ut qui cuſtodiæ præfuerit, circa infantem ipſum ſigna ea in primis obſeruet, quæ infantis temperaturam oſtendere ualeant, vt ijs ſigillatim receptis dignoſcat, quæ, & qualis temperatura ea ſit, quam infans ab ortu in ſuis principalibus membris, nec nõ in vniuerſo corpore adeptus fuerit. Cerebri temperaturam, vt primo uenemur capilli inſpiciendi ſunt, ſi ſubruffi, vel flaui, vel nigri exiſtant, & ſi criſpi, vel plani, ſi ſpiſſi, vel rari, & ſi celer, vel tarda ſit eorum generatio, & ſi venæ oculorum, & frontis anguſtæ ſint, vel magnæ, & ſi in facie rubicundus calor, vel albus cernatur, vel ſi ad nigrum, vel fuſcum tendat, & ſi cerebri excremẽta per nares, & palatum, uel per oculos, & aures multa uel pauca excernantur, ſi ſomni longiores, uel breues exiſtant, & ſi mentis perſpicacitas, & ſenſuum promptitudo, uel potius hebetudo ex his & alijs cit. loc. à Gal. traditis poterit unuſquiſque cerebri temperamentum perueſtigare. Hepatis vero temperamentum uenabitur ex ijs ſignis uidelicet, ſi adeſt latitudo, uel anguſtia uenarum, ſi abundantior bilis, uel pituita, ſi habitus corporis calidior ſit, uel frigidior, ſi ſiccior, uel humidior, ſi ſit corpus gracile, uel obe-
ſum,

ſum, uel pingue, ſi corporis ipſius mollities adſit, uel ſiccitas, & ſi puſtulæ in capite, & facie, vel alia parte ex lactumine efflorеſcentes bilioſæ ſint, vel pituitoſę; & per hæc ſigna, vel alia etiam à Gal. in arte med. ſufficienter tradita interſtinguere hepatis temperamentum, ac probe noſcere valebit. Explorata hepatis temperatura facile ex hac vniuerſi corporis temperatura comperta fuerit, quippe cum totius tẽperamentum hepatis temperiem ſequatur Gal. autore in arte medica. Cordis vero, & ventriculi temperamentum omittitur, quod in tenella adeo hac ætate nõ facile dignoſci valeat, idcirco de temperamento ſimilarium partium ex quatuor elementorum qualitatibus compoſitarum hæc ſatis. Ad aliam quæ conſtat ex ſimilaribus compoſitionem, ſi condecens ea fuerit, viſu præcipue dignoſci poterit inſpiciendo, ſi conformatio ipſa concinnam habeat figuram ad ſuas functiones apta, & ſi inſtrumenti, vel organi condecens magnitudo exiſtat, & ſi quæ compoſitæ ſunt partes ſuum conuenientem, ac definitum ſimilarium numerum ex quibus conſtant, ſortitæ fuerint, ac etiam ſi partes ipſæ probe, & vt decet inter ſe cohereant, & recte collocatæ fuerint, & obſeruetur tandem ſi inſtrumenti, vel compoſiti illius ratio ita ſe habeat, vt conformatio, magnitudo, partium numerus, earumq; ſitus naturæ pręſcripto cõueniẽtia exiſtant, & hæc de ſecunda compoſitione. Tertiæ vero compoſitionis quæ in partium vnitate, vel continuitate conſiſtit, & eſt conſtitutio tùm ſimilaribus, tùm etiã

instrumentarijs,& organicis cõmunis dicta,cum eius dissolutio, vtriusque partis functiones incommodet: hæc intuitu oculorum, & sensu tactus absque alio signo dignoscitur,vt si ipsarum partium sua adsit continuitas, & si adsit ipsarum adhesio, & coagmentatio illa qua ipsæ secundum naturam suam consistere debent. Hucusque,& per tradita signa quæ sit infantis temperatura, & sub qua ex octo illis intemperantijs à Gal. traditis in arte medica locanda sit tantummodo constabit, vt puta quod frigida sit, & humida, vel calida, & humida, vel quælibet alia ex dictis. At cum ipsarum intemperantiarum quælibet magnam habeat latitudinem sub qua plures reperiri possunt secundum magis, & minus tantummodo differentes, idcirco non sat est comperijsse temperamentum esse calidum, & humidum, vel frigidum, & humidum, vel aliud ex octo illis intemperaturis, sed etiam in quo gradu tale existat nouisse expedit, quandoquidem ignorato temperamenti gradu, nõ ualemus temperamentum ĩ ipsum conseruare, vt intendimus: oportet siquidem vt conseruemus, in gradu similia adinuenire conseruantia oportet, alioquin nõ conseruaremus, sed ipsum vel in maiorem, vel in minorem caliditatem, vel humiditatem, uel frigiditatem, vel siccitatem commutaremus prout præsidia ipsa,vel in intensiori, uel in remissiori gradu extiterint. Præterea in quo gradu temperamentum existat scire expediet,ut dignoscamus an adsit lapsus,uel qui dicitur neutrum decidentiæ, uel alius in una, uel

in ambabus qualitatibus, & si adsit lapsus, si talis erit ut correctore indigeat, uel præseruatore, at cum correctio, uel præseruatio ex contrario fieri debeat pari gradu ipsius lapsus, neutrum fieri poterit ignorato gradu, in quo temperamētum ipsum labatur. Veruntamen cum eiusmodi gradus elementorum tùm in temperatura ipsa, tùm etiam circa ipsa præsidia interstinguere, atque dignoscere sit ex ijs, quæ in arte medica difficillima sunt, & fortasse impossibilia, vt optimus ac præclarissimus ille Conciliator peruulgauit inquiens. Et quia ignoramus semper, & ignorabimus in æternum quantitates, & pondera elementorum, quæ sunt in composito. Et Auerroes in suo colliget cap. 24. inquit, & hæc mensura non potest comprendi per modum arbitrij: & rursus ò vtinam ego scirem cui rei habemus comparare mensuras elementorum, quæ sunt in illo, & quæ sequuntur: Gal. quoque in suo 3. methodi cap. 7. inquit. Ego contra si cuiusque priuatim naturam explorare ad vnguem scirem, vtique qualem fuisse Aesculapium mente concipio, talem me esse putarem; sed quoniam hæc fieri non potest, certe vt (quoad homini licet) quam proxime accedam, tùm ipsemet exercere decreui, tùm alios vt idem faciant ad hortor. Quibus igitur signis, & quomodo id quod maioribus arduum ita fuit dignoscere, & impossibile ferè vt ipsi fatētur nobis peruestigare licebit? Vtique non alia via nisi qua maiores ipsi vsi fuere, & quam nobis docuere, videlicet ab editis operationibus, à temperatura cuiusque manā-

tibus, & ab æqualitate temperatura ipſa in compoſitione partium, & in ipſarum vnitate conſiſtente; quę æqualitas non ea eſt, quæ in ſumma, optimaq; temperatura conſiſtit, ſed ea quæ ſub octo illis intemperantijs reperitur vnicuiq; conueniẽs, & ſibi propria, à qua operationes ſecundum naturam probeq;, & abſque vitio manant. Ab operationibus igitur vel perfectè, vel diminutè, & imbecilliter obitis, temperamenti propria æqualitas, vel inęqualitas, & qualitatum lapſus (ſi à ſua temperie receſſerint, & nimium labantur ad ęgritudinem verſus) vnuſquiſque artifex internoſcere valebit, quandoquidem cauſę vicem ad actionem, conſtitutio præſtat Gal. inquit in 1. methodi cap. 9. Et quemmadmodum perpulchro exemplo de oculo oſtendit Gal. cit. lib. cap. Supponatur igitur quod in aliquo operationes ſint ſecũdum naturam, in eiſq; nullum adſit vitium, & probè edantur. Eiuſmodi operationes indicant in corpore ipſo eſſe ęqualitatem, in qua ſua ſanitas conſiſtit, & idcirco conſeruandum eſſe. Verum ſi in alio corpore operationes non ita exquiſitæ fuerint, ſed diminutæ, atq; imperfectæ, non tamen corpus illud egrotet, profectò in ipſo corpore non æqualitatem ſicut in priore, ſed inęqualitatem adeſſe ex ipſis imbecillis actionibus indicabitur, & hanc non conſeruandam, ſed ſenſim corrigẽdam eſſe indicabitur; quemmadmodum ſi imperfectiores ſint ipſæ actiones temperaturæ lapſus indicabitur, & eius inęqualitas, & per conſequens temperamentum ipſum ab vlteriori lapſu præſeruandum

ne ad ægritudinem tendat; & hæc circa ſignorum genus.

Circa cauſarum genus quæ venandæ.

CAPVT SEPTIMVM.


AVSAE perueſtigandæ ſunt conſeruatrices dum conſeruanda erit temperamẽti æqualitas, & correctrices vbi corrigere oportebit, ac etiam prȩſeruantes vbi præſeruatio requiratur. Sed quoniam eas compertas habere non valemus, niſi quȩ, & quot ea ſint quæ inſalubres ſunt, prius venati fuerimus vt Gal. monet cap. 2. & 4. 1. lib. de ſanitate tuẽda, vbi duplicem corruptionis cauſam in corporibus noſtris aſſignat, alteram videlicet internam & à ſe, aliam extrinſecus incidentem. Eas autem quæ ſunt à ſe, in duas ſubdiuidit, quarum prima eſt ob quam continuò corpus noſtrum conſumitur ob aſſiduum ſubſtantiæ defluxum, & eſt natiuus noſter calor, qui licet nobis congenitus ſit, & familiaris, adeò vt quoad viuimus nos alat, tueatur, ac regat, nihilominus ſuimet ſubſtantiam, ſimul ac noſtram depaſcendo, ſeipſum ſimul, ac vitam noſtram extinguit. Altera internarũ cauſa traditur ab eodem Gal. cit. nuper loco, & eſt excrementorũ prouentus qui prohiberi ſanè nõ valet, quandoquidem eius quod continuò ſubſtantiæ noſtræ defluit, nullus alius ſit modus cauſam corrigẽdi,

& reassumēdi quod defluxit, atque continuò defluit quam cibi, potionis, respirationis, & arteriarum motus ope, vt Gal. cit. loco asseuerauit. Et cum necessum foret, vt illud quod loco illius deperditur, adiungitur, & agglutinatur pro resarcitione simile esset, nihil autem eorum quę eduntur, bibunturue eiusmodi prorsus sit, sed multas mutationes recipere debeat antequam corpori alendo similis fiat, vt in ventriculo, in intestinis, in hepate, & in singulis particulis. In ijs siquidem locis ex cibo primum permutatur in chilū, ex chilo in sanguinem, ex sanguine in substantiā nutriti non absimilem; ex ijs autem mutationibus singulis sua singula oriuntur excrementa, ex chilo siquidem superuacaneū stercus ad intestina crassiora depellitur. ex sanguinis commutatione excrementum est vrina, quæ è iecore, & venis in renes proiectatur, & ex renibus in vescicā profunditur, & vnusquisque superuacaneus humor, videlicet vtraque bilis. Ex eo autem quod singulis particulis assimilatur, excrementa sunt vapores per cutaneos poros exhalantes, atque sudores, ac sordes quæ extrinsecus adherescūt, & hæc de excrementorum prouentu. Declaratis supra quæ sint in corporibus nostris corruptionis internæ causæ, ad alias modo, quæ extrinsecus nos occursare solent, quæ euidentes, & necessariæ dicuntur accedere operepretium fuerit. Causæ ipsæ à Gal. dinumerantur 1. de sanitate tuen. cap. 5. nec non in arte medica cap. 85. vbi sic inquit. Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate corpus nostrum alterant distinguē-

tes

tes proprium in ſingulis eorum ſalubrium cauſarum genus inueniemus. Ineſt igitur vnum quidem & ambientis aeris adheſu, alterum verò ex motu, & quiete totius corporis, & partium ſingularum. Tertium ex ſomno & uigilia. Quartum ex his quæ aſſumuntur, uidelicet cibus, & potus. Quintum ex his quæ excernuntur, uel retinentur. Sextum ex animi affectibus; & his neceſſe eſt aliquo modo affici corpus. His ſigillatim enarratis generibus idem Gal. docuit nos quo pacto ſingula hæc materia quoq; ſalubrium effici ualeat cit. loc. inquiens, omnia igitur iam dicta genera materiæ quædam ſunt inſalubrium cauſarũ, at uſu oportuno adhibito cauſæ fiunt conſeruatrices, atq; ſalubres, ſed ubi à modo deliquerint inſalubres redduntur. Quo pacto autem eadem materia modo ſalubrium, alias inſalubrium eſſe poſſit cit. loc. oſtendit inquiens, Vbi motum corpus deſiderat exercitatio quidem ſalubris eſt, otium autem inſalubre: cum uero eget quiete, otium quidem ſalubre, exercitatio autem inſalubris; & ita in ſingulis alijs generibus cõtingere dicitur. Singula namque opportuno, dexteroq; uſu adhibita ſalubria fiunt, ſecus autẽ inſalubria redduntur, & hæc de cauſis. Et quoniam conſeruare ubi conſeruandum, & reſarcire, vel corrigere ubi corrigendum, & præſeruare ubi prꝗſeruandum expediet, neceſſe eſt vt ſanitas ipſa cuſtodiatur, atque ſeruetur quemmadmodum Gal. docet in ſuo lib. ad Traſibulum cap. 19. vbi ad hoc vt conſeruemus omnia hæc opera præſtanda eſſe oſtendit inquiens. At nunc

cum diffluat ſemper, atque diſpereat aliquo præſente obſeruatore indiget, qui & quod diſſipatur, quantum, qualeq; ſit cogniturus eſt, illicoq; tale ac tantum viciſſim reponens inſtaurabit. Vbi autem cauſarum iam explicatarum materia ad hæc opera præſtanda idonea petenda ſit, ſequenti capite oſtendetur.

A quatuor generibus conſeruantes cauſas, vt à quatuor fontibus ſcaturire.

CAPVT OCTAVVM.


QVATVOR eſſe genera ſub quibus vniuerſa cauſarum conſeruatricũm materia continetur Gal. oſtendit primo de ſanitate tuenda cap. vlt. vbi inquit. Cauſis autem ſuper quibus ſanitatis cuſtodia perficitur, harum materiam quatuor generibus Iuniorum probatiſſimi ſunt compleſſi: Admouẽdis, educendis, faciendis extrinſecus, incidentibus: & lib. 5. cap. 2. inquit. Quadruplex vero materiæ genus cũ ſit, quæ ſumuntur, quæ geruntur, quæ educuntur, quæ foris admouentur. hoc idem lib. ad Traſ. cap. 4. & etiam lib. artis med. conſtitut. cap. 14. Ab his generibus igitur tanquam à quatuor fontibus vniuerſa ſalubrium cauſarum conſeruãtium materia ſcaturit, & idcirco à quatuor fontibus, & ſeorſum ab vnoquoque ſuam idoneam materiam qualem, & quantam, & quomodo, & quando oportuerit vnuſquiſq; haurire

tire poterit. His igitur positis vniuersalibus ad particularium exercitationem descendere iam tempestiuum videtur.

Infans proponitur sub cuius exemplo tuendæ sanitatis exercitatio fiat.

CAPVT NONVM.



VANDOQVIDEM in vniuersalibus methodus, in particularibus vero exercitatio consistit, idcirco iam suppositis vniuersalibus, vt ad exercitationem ipsam accingamur, particularis infans seligẽdus est qui sit tanquàm metrum, & exemplar, sic vt ab ea quę fit circa ipsum exercitatio sanitatis custodiendæ vnusquisque edoctus, cæteris alijs, & ad proportionem cuilibet suam exercitationẽ (prout expediet) accommodare valeat. Infantem igitur accipiamus, & in primis temperaturam, eiusq́; naturam exploremus, & idcirco ad signorum genus recurramus, quorum differentias supra cap. 6. explicauimus. In primis supponamus infantem ipsum à sui ortu iam mentem agere in cuius tenella ætate pauca sunt quæ in conspectum se proferre valeãt signa, nihilominus per ea, quæ se ostendunt, temperaturam, simulac naturam infantis ipsius (quoad nobis licebit) peruestigare studebimus. Si igitur infans carnosus sit, suiq́; corporis laudabilis, & pulchra magnitudo adsit com

paranter

paranter ad cęteros, & optima singularum partium conformatio in ipso spectetur, eiusq; color ex albo, rubroq; commistus sit, tangētibusq; calidior potius, quàm frigidior, molliorq; eius caro sentiatur; ex eiusmodi signis calidam, atque humidam infantis esse tēperaturam, quamuis in caliditate parum, & humiditate magis à mediocritate recedere rationabiliter vnusquisque artifex colligere poterit; iuxta Gal. placitum in arte medica cap. 57. Et cum temperamentum totius sequatur hepatis temperamentū, hepar ipsum eodem temperamento præditum non est ambigendum; & si capilli recti & subflaui sint, pluraq; excrementa, eaque mediocriter cocta, & somnum facile conciliet, & in eius facie, & capite pustulæ efflorescāt cum non leui pruritu infestantes. Ex his cerebrum ad calidum moderate, ad humidum vero immoderatius tendere facile coniectari poterit. Num vero temperatura ipsa, simul ac in partium compositione, nec non in partium vnitate æqualitas ea adsit, quę est vnicuique propria, & conueniēs constitutio ad suas functiones probè obeūdas de qua dictum est antea cap. 6. an potius inęqualitas in aliquo dictorum generum adsit, vel lapsus vnius, vel ambarum qualitatum in tēperatura ipsa, qui lapsus, vel inęqualitas vel correctione, vel pręseruatione indigeat, id plane ex infantis ipsius actionibus interstinguendum, & dignoscendum erit. Si namque & naturales, & animales, atque etiam vitales, quoad tenellæ eius ætati licet, rectè & absque vitio edantur, profectò ęqualitatem adesse in tempe-

ratura

ratura ipſa, atque in conformatione, & partium compoſitione, nec non in ipſarum partium vnitate recte concludi poterit. Et cum in ipſa æqualitate ſanitas conſiſtat, iuremerito ęqualitas ipſa conſeruanda erit, Galenus ſiquidem, & ante ipſum diuinus Hippocrates in ſuo 3. apho. temperaturam eiuſmodi adeo celebrauit, vt veris optimam atque laudatiſſimam temperiem æquari teſtatus fuerit. Et Galenus adeo temperamentum ipſum celebrauit, vt lib. 6. de ſanit. tuen. cap. 3. dixerit; ijdem, & ſanitate (vbi corpus ad robur peruenit) plus cæteris fruuntur, & cęteris qui parem agunt ætatem valentiores ad extremum vſq; ſenium ſunt. Talem profecto temperamenti ſimmetriam, pulcherrimamq; corporis ſtructuram Sereniſſimus Princeps ab eius fęliciſſimo ortu adeptus eſt, vt ſpectatur ab omnibus qui Sereniſſimum Principem inſpiciunt, quem Deus Opt. Max. per ſingulas ætates faueat, & cum optima ſanitate, omniq; cum fęlicitate diutiſſime conſeruet.

Quid agendum ſit, vt infantis ſanitas ſeruetur.

CAPVT DECIMVM.

QVI propoſitus eſt infans, vt ex eius æqualitate in temperatura in compoſitione, & in partium vnitate, nec non per ſigna oſtenditur, ipſum bene valere, & inculpata ſanitate frui profectò dici poteſt. Præſens eius ſanitas igitur conſeruationem

ſeruationẽ indicat, & hic eſt principaliſſimus ſcopus ad quem omnis noſtra intentio dirigi debet. Vt autẽ principalis hic ſcopus perficiatur, bini illi ſcopi attingendi ſunt, atque perficiendi à Galeno poſiti in ſuo primo de ſanitate tuenda cap. 3. vbi inquit. Atque ita geminum iam ſcopum ſalubris victus ſermo noſter expoſuit. Alterum eius quod exhauſtum eſt, reficiendi, Alterum excrementa expellendi: Qui enim geminos hos ſcopos ad vnguem perficere ſtudebit, is optimus ſanitatis cuſtos erit, quemmadmodum Galenus expreſſit cit. nuper loco, vbi poſt paucis interpoſitis verbis ſubdit inquiẽs: Si enim in neutro ſit erratum, nec quod exhauſtum eſt reſtituendo, nec excremẽtis expellendis, & ſanitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem quam longiſſime ſeruabit. Poſitis igitur binis his ſcopis, qui à nobis intus congenitis intusq; nos alterantibus oriuntur ex Gal. placito, mox alius additur à ſex rebus non naturalibus dictis, quæ neceſſario corpori noſtro occurrunt, emanans, & eſt curandum eſſe, vt ſex res ipſæ non naturales dictæ, & earum ſingulæ quales, quantum, & quando, & quomodo oportet pro ſanitate ſeruanda recipiantur. His præfixis ſcopis, vt iam exercitationem ordiamur ad primum ſcopum accedamus: ſcopus primus eſt reficiendum eſſe quod eſt exhauſtum, vel quod cõtinuò diffluit, quod autem continuò diffluit ſubſtantia eſt calide innati, videlicet humidum primigenitum ſpiritu, & calore perfuſum. Quod igitur abſumptum eſt, & aſſiduè abſumitur, natiua eſt humiditas vnà cum

ſpiritu

ſpiritu quo perfunditur, & hæc ea ſunt quæ abſumpta & exhauſta reficiēda eſſe ſcopus oſtendit. Sed cū ſit quod niſi inhibeatur immodicus æſtus quo aſſiduo cor exardeſceret incontinua ventillatione, & refrigerio ei opem feratur, & breui tādem tempore hæc ex toto abſumerentur, & vnà ſimul caloris extinctio ſequeretur, idcirco reficiēdum eſt quod abſumptum ipſius ſubſtantiæ, & inhibenda eſt noua, nimiaq; abſumptio per inhibitionem immodici æſtus. Quibus autem ſingula hæc præſtētur, id notius eſt, quàm vt à me oſtendatur, cum à ſagaciſſima natura id comparatum fuerit, ita vt vnumquodque animal ſtatim in lucem editum mira Dei prouidētia, nullo edocente aerem hauriat, cibumq;, & potum ſibi cōuenientem perquirat, & ore ſumat; quemmadmodum Gal. oſtendit 1. de ſanit. tuen cap. 2. inquiens. Non enim veſci, bibere, aut reſpirare à quopiam vſquam diſcimus, ſed ſtatim à principio facultates in nobis habemus quæ hæc omnia citra docentem perficiant. Veruntamen quoniam aer, cibus, & potus inter inſalubres cauſas quæ neceſſario corpus noſtrum alterant à Gal. recenſeantur 1. de ſan. tuen. cap. 5. nec nō lib. de arte med. cap. 85. vbi ſubdit, quòd ſi opportuno vſu res æedem adhibitæ fuerint, cauſæ fiunt conſeruatrices, ſed vbi à modo deliquerint in ſalubres redduntur, neceſſe eſt tùm in ciborum, & potuum genere, tùm etiam in aeris differentijs ea ſeligere, quæ tanquam cauſæ ſint conſeruatrices, minime vero ſanitatem alterantes, vel commutantes cum de ſanit.

tuen. ac conſeruanda præcipue tractetur. In primis igitur fontē illū petemus, qui dr̄ amouendorū, vel ſumēdorū, & ab eo in primis aerē ſeligemus, qui ſit purus vt Gal. monet cit. lib. cap. 11. optimum ſiquidem in pulmones trahere omnibus iuxta ſalubre eſt Gal. inquit cit. loco, vbi de aere puellis parando loquitur. Reſpuendus vero aer eſt, qui ob ſtagnum, vel vicinū flumen nebuloſus fuerit, & qui editis vndique mōtibus in cauo loco clauſus, nullum recipit perflatum vt Gal. monet cit. loco. Impurus verò ſi aer fuerit omni ſtudio, & arte vitari debet. Aere ſic ſelecto, eoque inſpirato, ac reſpirato tres præfixos ſcopos attingemus, primum videlicet reficiendi ſpiritum ipſum vitalem reaſumendo, ac recreando; ſecundum vero excrementa expellendi cum reſpirato aere fuliginoſitates extra expellendo: Aeſtus quoque cordis, & natiui caloris ipſo aere moderabitur, & tandem ſic ſanitatis ipſius infantis vna ex conſeruantibus cauſa fuerit; & hæc de aere.

Quod ſubſtantiæ continuo defluit cibo, & potu infantis reaſumendum, vel reficiendum.

CAPVT XI.

CVM aeream, igneamq; ſubſtātiam ſpiritum ipſum videlicet aeris reſpiratu tueri nobis neceſſario liceat, quemmadmodum Gal. docet 1. de ſanit. tu. cap. 2. iam oſtenderimus, quicquid modo ſic-

cioris

cioris ſubſtãtiæ exhauſtum fuerit, ac etiam humidioris, vt ſcopo reficiendi ſatisfaciamus, ſic reficiemus, cibo ſicciorem, potu vero humidiorem, vt pariter Gal. edocuit cit. loco. Et quoniam infantis ſubſtantia reaſumenda eſt ab eodem fonte admouendorum pro idonea materia cibi, & potus: lac ſeligemus à matris, vel nutricis vbere ſumendum, & quia ſi velimus ſeligere lac, oportet neceſſariò ſeligere nutricẽ, idcirco quæ, & qualis ſit ſeligenda nutrix, & qualis lac eius eſſe debeat, & quo tempore, & quot vicibus lactandus ab ea ſit infans, & quo regimine circa infantem ipſum Nutrix vti debeat in ſequentibus oſtẽdetur.

Qualis debeat eſſe Nutrix, & quas conditiones habere.

CAPVT XII.



NVTRIX ſeligi debet quæ ſit optime conformata, & boni habitus, cuius color ſit ad album, rubrumque ſimul tẽdens, vel aliqualiter ad fuſcum; Aetas eius ſit à vigeſimo vſque ad trigeſimũ ſecundum annum, ipſaq; bis ad minus pepererit, & infantes ſanos nutriuerit, & bene coloratos, & eius vltimus partus maſculus fuerit, & debito tempore in aluo geſtatus, caueatur uerò vbi acerbus, & non ſuo tempore fuerit eius prægreſſus partus, & tutius erit, ſi

adhuc

adhuc viuat puer, vt inſpici poſſit, & ex eius pręſentia, an nutrix ipſa probe alat atteſtari poſſit. Præterea ſit ipſa nutrix lato thorace conformata, ſintque eius vbera modicæ magnitudinis, mediocresq́; ſint ipſarum papillæ, quandoquidem paruæ difficile ab infantibus apprendi poſſunt, magnas autem infantis os non capit, palatumq́;, ac linguam occupant, & ſuctionem, deglutionemque fatigant, vel impediunt. Eius habitudo haud molli carne, ſed denſa, & ſolida exiſtat, quò robuſtior ea ſit ad labores circa infantem obeundos aptiſſima. Caueatur ſi nimis ruffa ſit, lentiginoſa & alba. Eius inſpiciatur corpus, ſi adſint puſtulæ, vel ſcabies, vel ſi dentes ceciderint, vel ſi in eis adſit caries, uel nigredo, quæ ſingula ipſam deſtillationibus pronam oſtenderent. Pręterea enixe curandum fuerit, vt perueſtigetur an ipſa, vel eius vir morbo gallico vnquam paſſi fuerint, & curandum erit tandem, vt ea ſit tam mente quam corpore ſana. Cum talis comperta fuerit ad ipſius lactis probationem deueniendum erit. Lac nutricis debet eſſe aſpectu candidum in qualitate, & guſtanti, vel olfacienti ſuaue. Subſtantia debet eſſe æquabilis, mediaq́; inter liquidam, vel ſubtilem, & craſſam, quod ſic experiri licebit. Lactis eius guttulæ vel in ſpeculo, vel ĩ vngue inſtillentur, & ſi commoto, vngui hæreat vel perſiſtat, coagulati, & craſſioris ſignum erit: & ſi commoto unguem diffluat, aquoſi lactis ſignum erit: ſed ſi ſenſim diffluat, ita vt gutta decidens dum fluit in ima ſui parte rotunda ſeruetur, & non æqualiter diſperſa,

id opti-

id optimum in ſua ſubſtãtia atque laudabile ſe oſtendet. Dictas lactis conditiones Gal. laudauit 1. de ſanit. tu. cap. 9. contrarias vero improbauit.

De regimine infantis à Nutrice ſeruando.

CAPVT XIII.


I nutrix infantis ortui præſens extiterit, pro primo ciborum linctu parum mellis modice cocti, & deſpumati exhibeat, vt clariſſimus ille Moſchio Græcorum vetuſtiſſimus auctor edocuit, inquiens: talem cibum primo eſſe exhibẽdum, vt ſtomacum, & ventrem purgare valeat, & eum nutrire. Sunt qui palatũ, & linguam theriaca illiniunt, alij recente oleo amigd. dulcium: At cum tunc temporis ventres multis ſcateant recrementis, & præcipue fæculento illo, & nigro liquefactæ pici non abſimile, quod meconium vocant ex iecore, & ſanguine menſtruo delatum, expedit priuſquam infans lactetur, vt recrementa ipſa euacuentur, alioquin ſi antea lactaretur, facile ſumptum lac ipſis excrementis immiſceretur, & facile corrumperetut, & à corrupto lacte vapores in cerebrũ delati pernicioſa infanti ſimptomata inferre ſolent, quemmadmodum peritiſſimus ille Gallorum Ambroſius Pareus in ſuis ſcriptis optime animaduertit, in ſuo inquã de hominis procreatione. Hac de re igitur, vt facilius meconium

ipſum, & quæ in vtroque ventre ſuperfluunt recrementa euacuentur, linguaq́;, & fauces detergantur, & vt ea dulcedine ad ſugendum alliciatur infans, mihi admodum probatur, quod antequam papilla vberis ori infantis indatur, obſtetrix, vel vt Nutrix mel hiſpanum, vel ex noſtro ſelecto accipiat, & digito linguam, & palatum infantis illiniat. De tépore ab eius ortu quo ſit mel ipſum propinandum, Moſchio ille determinat, inquiens, quòd poſt omnem commotionem, & vbi infans quieuerit poſt octauam videlicet vel decimam horam à ſui proxime ortu, & hæc de primo alimento infanti propinando, quod & cibi, & medicamenti vſum præſtet. lacte deinceps infantem nutrix alere incipiat papillam exprimens, & guttulas aliquas in eius ore fundat, vt ſic ſenſim inſtillatum deglutire incipiat, & ad papillam ſugendum aſſueſcat. De quantitate alimenti, vel lactis puero exhibenda Gal. docet 1. apho com. 15. inquiens, quòd pueri plurimum habent calidi innati, idcirco pluribus indigent, & plura concoquunt. Hippocrates autem cit. 1. apho. 14. inquit. Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus abſumitur. Et idem Gal. cit. lib. apho. com. 15. de quantitate ipſius alimenti ſic determinauit inquiens, oportet igitur alimenti quantitatem eſſe eius quod difflat quantitati proportionalem. Cum plurimum igitur ſit quod defluit, plurimum quoque eſſe debet alimentum, vt deperditioni par reaſumptio exiſtat. De tempore Moſchio ſic

inquit frequenter in die lactandus eſt infans, modo ex dextera, modo ex ſiniſtra mammilla quoniam ſemel quod ei ſufficiat ſumere nō poteſt, laſſatur enim infans diutius lactando. Non igitur determinandus eſt modus, ſed viſus fuerit velle oportet eum accipere. Auicennas vero in 3. pri. doct. 1. cap. 2. inquit Bis aut ter in die ſugere mammillas debet ei ſufficere, & in primis non eſt multum lactandus. Hæc de quātitate lactis puero exibendi, mox de tempore in quo infantem lactare conueniat, & in quo opportunum minime ſit ſequenti capite.

In quo tempore lactandus ſit infans, & in quo abſtinendus.

CAPVT XIIII.



ONET Gal. 1. de ſanit. tu. cap. 10. vt neque ante balneum, neque ante frictionem puello cibus exhibeatur, ſed cibus balneum ſequatur, neque ante lauacrum; igitur neque in ipſo lauacro lactetur puer. Cauere quoque debet nutrix, vt infantem minime lactet illico dum expergiſcitur à ſomno, ſed prius per vnicam vel duas vices lac è mammis exprimat, & poſtea lactet ſi neceſſitas aliqua vrgeat, ſin minus vrgeat, melius erit infantem non alere donec ieiuna poſt ſomnum extiterit, vt monet Auicennas 3. 1. doct. 1. cap. 2. Neque etiam infan-

tem lactet, postquam exercitio aliquo fatigata fuerit, & à calore per exercitium acquisito immunis fuerit. Quando vero primores dentes emiserit, tunc nutrix infantem assuescat ad solidiorem cibum sumendum, vt est Gal. placitum 1. de sanit. tuen. cap. 10. qualis est panis medulla, vel in simplici aqua, & modico sale, vel in iure paruæ pullæ feruefactæ, tali siquidem solidiori cibo robur, & firmitudo magis indetur, cũ namque diutius in ventriculo moretur, fit etiam vt flatus, quos recipit infans in sugendo lac, facilius, & citius à ventriculo, & intestinis propellantur. & sic ubiq; nutrices pro secundo cibo eiusmodi ferculum in pauca tamen quantitate per duas saltem uices singula die ante lactationem exhibere consueuerunt, in prandio uidelicet, & cena, & quantitatem eius cibi augendo prout in dies augetur infans. Nec desunt qui ipsis puellis offam panis exhibẽt in aqua, & melle maceratam, vt etiam autor est Auicennas, & alij cũ lacte maceratam, & alij cum uino ualde diluto, alij panem à nutrice commansum, quæ singula respuenda mihi uidentur præter panẽ illũ in aqua, uel iure feruefactũ: Vinum quoque, quippe cum halitu caput infantem repleat, ex quo ualde improbatur à Gal. cit. 1. de sanit. tu. cap. 11. Præterea à pane illo commanso à nutrice abstinendum uidetur, quandoquidem dum nutrices à suis mensibus non repurgantur, eisq; sæpe tùm à capite; tùm etiam à uentriculo ad os earum confluat excrementitia humiditas improbãdum uidetur quòd cibus ille excrementosa illa humiditate

ditate

ditate imbibitus infanti pro nutrimẽto exhibeatur. Improbandum quoque esse uidetur panis in lacte macerati usus, cùm uel muliebre, uel aliud emunctum ualde sit alterabile ab ambiente aere ut Gal. asserit lib. 5. aph. com. 64. & ob id Gal. lib. 10. de simp. med. facul. inquit quòd lacte calido ab ubere uti debemus. Et cum eiuscemodi ætates rendundantiæ, fluxionumq; morbis, atque putredinis tẽtari soleant ut Gal. asserit lib. 6. de sanit. tu. cap. 3. ex quibus putredinibus lumbrici sæpius in eorum intestinis progignuntur, & alui fluxus, ob id ab alterato lacte pueros abstinendos esse putarem. Panis uero in aqua, & melle macerati, si puer annum iam agat non displiceret usus, ijs præsertim quibus aluus dura extiterit, & sua sponte non egerat. Et si potum aliquem exhibere velint nutrices, tutius aquam simpliciter decoctam, vel pulli stillatitium ipsa aqua linphatum exhiberem, potius quam vinum, & sic vsque dum caninos dentes emiserit. Per quot menses verò lactandus sit puer, plurimi vsque in decimum octauum mensem, aliqui etiam vsque in biennium, vt Auicen. cit. supra loco; & hæc de cibo, & potu infanti exhibendo, prout ex scopo ostenditur ad reficiendum.



De regimine quod Nutrici debetur.

CAPVT XV.



VTRIX non modo ad ea quæ dicta sunt, atque dicentur circa infantem ipsum administranda vigilátissima esse debet, sed etiam cauere debet nè circa res ipsas non naturales dictas in sua victus ratione vllo pacto delinquat, sed ea obseruet, ita vt ex tertio posito scopo ostenditur: sic namque Gal. monet 1. de sanit. tu. cap. 9. inquiens. De nutrice ipsa non minimã habendã esse curam, quid edat, quid bibat, quo pacto in sõno venere, exercitatione, se habeat: vt videlicet lac eius sit tẽperatũ, quale certe erit si sanguis optimus erit, nascitur autem eiusmodi sanguis ab exercitatione moderata, & cibis tùm boni succi, tùm iusto tempore, modoq; sumptis. Prætera potione tempestiua, moderateq; sumpta; hæc Galenus. A fonte eodem igitur admouendorum, uel sumendorum pro ipsa nutrice seligantur cibi qui sint boni succi, & eleganter alant, vt est caro pullorum, paruorum columborum, turturum, phasianorum, & cæterarum auicularum montanarum ex laudabilioribus: Inter quadrupedes, vt ueruecis, lactantium vitulorum, hedinæ, & cæterarũ eiusmodi, quas potius elixas, quam assas comedere debet vnà cum ferculis ex ipsarum carnium iuribus, in quibus iusculis vel

lis vel borrago, vel acetoſa, vel lactuca incoqui poterunt, prout continuus vſus expoſcet. Poterunt quoque in ipſis iuſculis fercula parari, vt cum amigdalis, ordeo, orizza, ſi præſertim infantis nimium aluus flueret. Paruarum auicularum carnes aſſatæ conceduntur, ac etiam quandoque cæterorum animalium dictorum carnes, ſi tunc temporis infantis nimium flueret aluus, vt eſt dictum, poterunt quoque tunc temporis cum ſucco aranciorum malorum punicorum, agreſta carnes ipſæ condiri. A puluiſculis aromaticis abſtinere debet nutrix, ne infantis caliditas augeatur, & humiditas ſui temperamenti imminuatur. Abſtineat à carne auium in aquis degentium, ſi præſertim infans humidam aluum habuerit. contẽtetur nutrix in qualibet menſa vnius tantum animalis carne, & de ipſa moderate comedat, nec varia cibaria perquirat. In die autem in qua non comeduntur carnes, comedat oua tremula recentia, & cum ijs, & pane, vel farina, & limonum ſucco ferculum parari poterit. Vti quoque poterit iure cicerũ rubeorum, vel alborum, vel ex orizza, amigdalis, & ſaccaro, nec nõ ſaxatilibus piſciculis, vti quoque poterit pro condimento dictorum vbi conueniat & per ſe, ipſo butiro recenti. Inter obſonia vero pira cocta conceduntur, amigdalæ, paſſulæ, caricæ, vua penſilis, & à cæteris abſtineat. Potus vinum ſit ſubrubrum pauciferum, & odorum, ſit in quantitate moderata, & aqua puriſſima limphatum: magnopere caueat ab immoderato eius vſu, ne infantis temperamentum

perfringatur nimium calefaciendo, & ne caput petendo destillationes, & epileptica simptomata excitet. A vino autem abstinebit vbi gingiuæ prurigine tentabuntur, & eas dentes perforabunt, & eo tempore vel aqua cum cinamomo cocta, uel limphata, uel stillatitio pulli pro suo potu uti debebit. De uicibus sumendi cibum obseruet eius consuetudinem, sed parcius sumat. Et cum in mane surrexerit è cubile antequam infantem ipsum lactet aliquid cibi assumat, neque ieiuna infantem lactabit, nisi aliqua urgeat necessitas, & hæc de primo & 3. scopo perficiendis cibo, & potu satis.

Faciendorum Fons Secundus.

Somni & vigiliæ moderatus, & congruus vsus ab ipso fonte seligendus.

CAPVT XVI.



OMNVS, & vigilia cum ex conseruãtibus sint causæ ab hoc fonte utrumq; decenter, & pro opportuno tempore seligendum fuerit. Cum namque is sit laborum omnium cessatio, corporisque, & animi requies, naturaliumq; functionum robur, & coctricis præcipue facultatis, idcirco pro sanitate infantis conseruanda utrumque (ut decet) seligendum erit. Nutrix igitur curet, ut infantem dormire

mire ſinat in nocte omni hora præter tempus illud, quo lac ſumere debet. In die uero conſuetis ſuis horis dormire ſinatur, neque excitari permittatur. Et ſi forte contingat quòd horis ſuis cõſuetis dormire nõ ualeat, papilla uberis ori indatur, & uocis modulatione, & cantu ei ſomnus concilietur, & ſi nihilominus ſomnus non concilietur, ſed indeſinenter ploret, nutrix ipſum in ſuis ulnis accipiat, & ambulando, leuiterq; hinc inde ſe & infantẽ cõmouẽdo ſõnum cõciliare curabit. Quod ſi adhuc uigiliæ inſtantia perſeueret, & fletus cum inquietudine, tunc nutrix nõ deſiſtat ultro perquirere quid ſit quod infantem ita diſcrutiet, & ad ignem accedendo, ipſum quamprimũ à faſcijs abſoluat, & interim perueſtigare non ſinat, an nimius æſtus, uel refrigeratio ipſum infeſtet: an arctius fuerit faſcijs circũdatus, uel ſi pes, uel brachia, & manus, uel pars alia preſſa nimium fuerit, uel diſtorta, an petiæ, & linteamina quibus inuolutus erat, uel à profuſa urina nimium madefactæ, uel ab alui fæcibus ſordidæ extiterint, & tandem ſublato quod offendebat, uel præbito quod expetebat, ut Gal. docet 1. de ſanit. tu. cap. 8. moleſtiam auferre tentabit. His peractis lauacro deinceps infantem abluat, & à ſordibus mundet ſi opus fuerit, & mundis petijs inuoluat prout ſuo loco docebitur. Et ſi forte contingat quod ſingulis peractis ut puer quieſcat, & nihilominus puer inquietus, & cum ploratu perſiſtat, tunc qui præfuerit peritus aduocetur, qui non amplius externam cauſam, ſed internam perueſtigare conabi-

tur, &

tur, & adinuenta causa conuenienti præsidio quamprimum, & expedite succurrat, & hæc de somno. Vigilia autem sit ante prãdium per duas, vel tres horas, & post meridiem similiter, & in cæteris temporibus consuetudo seruetur, & hæc de vigilia.

Pro Nutrice.

NVTRIX in nocte dormiat, sed caueat ne somno adeo se profundat, vt pueri querelas audire non valeat: idcirco somnolentiam nimiam vitet, & si quid puello expediret, administra sit vigilãtissima, & ei opem ferre ex repente vsu valeat. In mane etiam dormiat, si in nocte vigilasse nimium contigerit. Vigilet autem in meridie, & ab assumpto cibo, & hęc de somno, & vigilia nutricis.

Faciendorum fons tertius.

De motu vel exercitio, & quiete ab hoc fonte seligendis.

CAPVT XVII.



OTVS duo genera Gal. constituit primo de sanitate tuenda cap. 8. quippe aut à nobis ipsis, aut ab alio mouemur. Qui ab altero præstatur motus nauigãdo, equitando, vehendo, atque in cunis, lectulis pendentibus, & nutricis vlnis obitur.

Recen-

Recenter nati puelli primis motibus profectò inepti ſunt,& inualidi: ſed alijs tribus modis excogitata eſt dimotio, videlicet in cunis, in pendentibus lectulis, & in nutricis vlnis. Nutrix igitur à poſito fonte his tribus modis ſumptis ad exercitium infantem debitis horis ſeruatis,& tempore mouere debet, exercitando ſiquidem, vt inquit Gal. 2. de ſanitate tuēda cap. 9. inſiti caloris augmētum animalibus excitati exercitiū, necnon alimenti coctionem, diſtributionemq́;, & ſuperuacaneorum omnium expulſionem iuuat, & præfixo ſecundo ſcopo ſic ſatisfacere videtur, & ad primum quoque perficiendum magnopere confert. Cū igitur infans iam decimum menſem attigerit, tūc nutrix vt magiſtra, ad exercitij genus quod à ſe ipſo fit, infantē exercere incipiet, eius brachia dextere apprehendēdo ad inceſſum per ſoleum pedes, & crura mouere docebit, quādoque etiam curriculo, & ſic donec plenè edoctus pedibus ſuis, & ex ſe tuto progredi valeat. Immature verò cogendus non erit, neque immoderate, ne ipſius artus diſtorqueantur. Cum vero ad biennium acceſſerit, & ſuis pedibus, ac etiam accommodatis curriculis, & alijs vehiculis exerceri tūc poterit. Quantitas exercitij moderata ſit, ne fatigetur, vel laſſetur pueri tenellum corpus. Hora autem exercitij conuenienter eſt ante prādium, & quoniam lac in mane ſumptum non amplius in vētriculo morabitur, & ſimiliter poſt meridiem vbi à ſomno excitatus fuerit, & vbi ieiunus ventriculus putabitur. Ieiunus vero maxime tunc fuerit, cum infans longum

satis somnum conciliauerit: quod quidem à nutrice seruari debet, vt Gal. monet cit. lib. cap. 10. & hæc de corporis exercitio, mox de animi motibus quales esse debeant expendamus.

De animi motibus vel affectibus.

CAPVT XVIII.



SVB eodem faciendorum fonte continentur tùm corporis, tùm animi motus, & idcirco Gal. citat. lib. cap. 8. docet tùm corporis, tũ animi exercitijs puerorum calorem seruari debere. At cum infantes loquellæ adhuc expertes, non secus dolores suos exprimere valeant, quàm ploratu, iracundia, & inordinato eorum motu, & è conuerso quiete, & risu hilariq; gesticulatione salubres eorum affectus ostendant, idcirco vigilantissima debet esse nutrix in peruestigando quemcũque animi affectum ipsius infantis, quandoquidem si ipsis plorantibus, & iratis non succurratur, infans biliosus redditur, & febres accenduntur, vt Gal. monet cit. loco. Quo pacto autem infantium animi affectus explorandi sint, & quo pacto subueniendum supra ostendimus cap. 16. vbi de somno conciliando, & de instantia vigiliarum loquuti fuimus: si vero puer taciturus nimium extiterit, & ad motum tùm capitis, tùm cæterarum corporis partium, & ad gesticulandũ piger, & segnis se ostẽdat,

dat, quod quidem temperamento propoſiti nobis infanti non congruit, eiuſcemodi naturæ puerorum à Gal. improbantur cit. loco cum ipſæ pituitoſæ, frigidæq; ſe oſtendãt, quas ſubinde habitudines iecinoris, & viſcerum obſtructiones, comitiales morbi, à poplexiæ, deſtillationum, fluxionumq; morbi plerumque excipiunt. Idcirco nutricis modulamine, & cantilenis, & letabundo aliquo ſono, & corporis exercitio ſimul eſt infantis animus, eiusq; appetitoria pars ad moderatos ſui motus excitandus, & prolectandus; & nutrix quandoque infanti ea offerat, quibus oblectari videbitur: quandoque etiam alter puer natu maior coram ipſo, vel pila, vel alio modo colluctando, vel geſticulando, vel ſaltando puelli animum alliciat, vt ad motum, vel exercitium tùm animi, tùm corporis ſic diſponatur, & natura eius ſic ſenſim corrigatur. Infanti vero nobis propoſito moderatus ſit motus, eiusq; congruus vſus exiſtat, vt ſupra dictum fuit, & hæc de animi motibus.

De quiete infantis.



QVIES cum vna ſit ex conſeruantibus cauſis, ab eodem fonte accipienda eſt, quæ moderata eſſe debet, immoderata ſiquidem non parum moleſta eſſe debet Gal. inquit citat. ſup. loco, vt diximus de infantium ſegnitie. Calorem namque inertem, ſpiritus ſegnes, & actionum ignauiam immode

rata

rata quies reddit. Quies igitur moderata ſit, In nocte adſit, & ab aſſumpto cibo, vitetur autem in ſingulis horis, in quibus (vt ſupra oſtenditur) exercitari debet.

Pro Nutrice.


VANTVM conferat exercitium nutrici infantem lactanti Gal. oſtendit primo de ſanitate tuenda cap.9.inquiẽs, quòd ex moderato exercitio optimus fit ſanguis, & ex opt. ſanguine lac fit ægregie temperatum. Vt nutrix exercitio vtatur imperant Authores ferè omnes inter quos eſt Paulus Aegineta lib.3.cap.13. Celius autem Aurelianus, & præcipuè vt à comitiali morbo prȩſeruetur puer: Hali abb: Similiter iubet nutrici exercitium temperatũ, ſi igitur hiems fuerit, vel aeris inclementia, tunc per ædes nutricem ſe exercere expediet, & prȩſertim brachia, & ſuperiores partes, quò ſanguinis in lac cõuertendi maior fiat attractio, vt in ſuis vlnis infantem geſtando, & eius linteamina, & faſcias abluẽdo, & cȩtera opera obeũdo, quæ circa infantem ipſum, & pro eius regimine requiruntur. In cæteris uerò temporibus, ut uere, æſtate, & autumno, poterit extra ȩdes, & per uiridaria mane, & ſero ante cibum mediocri exercitio uti, & aeris amenitate frui. Otium atque deſidiam maxime uitet, ut quæ inſalubres cauſæ ſint, & ad lac frigidum pituitoſum, & craſſum progignẽdum

aptæ,

aptæ, quod maxime propositi nobis infantis temperamento aduersaretur. Quies igitur sit in nocte, & in meridie ab assumpto cibo donec fuerit coctus, ac distributum sit alimentum: circa motus animi, singulos animi affectus euitabit, qui ei molestiam afferre valeant, & hilaris viuat, vt suis cantilenis puello letitiam parare valeat.

Fons educendorum.

Quæ euacuari debent, & quando, & quæ subsistere.

CAPVT XIX.



AB ea qua ducimur necessitate ad alendũ corpus cibo, & potu vt illud, quod substantię continuò defluit reasumantur, ab hac rursus alia oritur necessitas, & est excrementa progignendi, quæ ex ipsorum ciborum coctione resultant, & ex hac rursus alia videlicet, vt ad ipsorum excrementorum euacuationem necessariò compellamur. Iure merito igitur diuinus ille Hippocrates breuissimo verborum contextu, id peruulgauit inquiens. Medicina est adiectio; atque sublatio. Necessitates dictas luculẽter Gal. ostendit primo de sanitate tuenda cap. 1. 2. & 3. Vt igitur secundo posito scopo satisfaciamus, à posito educendorum fonte trahemus ablationem eorũ quę

superfluunt

superfluunt excrementa, quandoquidem ab admo-
uendorum fonte iam cibum, & potum seligerimus,
quæ adiectioni seruiant, vt primus positus scopus cō
pleretur pro infantis sanitate conseruanda. Ea quæ
expellenda sunt excremēta infantibus præcipue sunt
vrinæ, alui fæces, narium muccus singulo mane; &
quando opus fuerit oculos, aures, nares, & os diligen-
ter detergat; & si vrinæ, & alui fæces sua sponte reddā
tur, nutrix ad hoc diligentissima, & accuratrix maxi-
me sit, vt infantem ab ipsis excrementis mundet, &
abluat, & fasciæ, & linteamina quibus inuoluitur, mū
da continuo teneantur. Verum si aluus sua sponte
non egerat qualia, & quantum, & consueto eius tem-
pore, curet nutrix, vt consueta fiat euacuatio per al-
uum, & ad hoc adiuuandum, in principio sui prādij,
vel cenę accipiat prunas damascenas in iure veruecis,
vel pulli incoctas, & saccaro conditas, & illico dum
eas comederit iusculi illius parum superbibat. Infan-
ti vero singulo mane antequam lactetur parum mel-
lis modice cocti exhibeatur, & sic donec sua sponte
venter eat. Poterit etiam infantis vmbilicus tauri-
no felle illiniri. Et si hæc non sufficiant, balano vti
poterit, vel celardone ex melle, & lacte, saleq; con-
fecto. Interdum accipiatur pinna gallinæ, intingatur
in oleo, butiro, & sale, melleq; simul mixtis, & sum-
mitate pinnæ illius molliori parumper complicata
immittatur in ano infantis, hęc siquidem infantibus
præcipue natu minoribus aluum facillime ciere solēt;
& si nihilominus per dicta pręsidia non ciatur aluus,
enemate

enemate aliquo leuiori vti poterit, vt ſic.

Rec. Brodij pulli, vel veruecis unc. tres, vel quatuor prout maior, vel minor ſit natu;

Mellis roſacei unc. s.

Butiri recentis dr. vj. vel unc. j.

Oui lutei dimidium.

Salis parum: m. infundatur ante lactationem, vel poſtea per tres horas; & hæc de euacuatione eorum, quæ retinenda non ſunt. At ſi euacuarent ea quæ ſubſiſtere debent, vt per aluum alimentum crudum, & adhuc non coctum, vt in lienterijs contingit ob infantium, & puerorum voracitatem, ſic ſubueniatur. In primis præcipiatur nutrici, vt ipſa cibis coctu facilioribus vtatur, & qui ſint boni ſucci, ſuaque fercula pipere condire poterit, & in potu ſit moderata: abſtineat tunc temporis præcipue à paſtaminibus, à frictuminibus, & à pomaceis fructibus, & ſingulis alijs crudum ſuccum proginentibus. Caueat quoque ne à multa, vel crebra lactatione infantis ventriculum, vel grauet, atque fatiget, ſed parcius illum alat, & per moderatas vices, & interualla vtatur ipſa vino rubro ſubadſtringentia aliqua prædito, modo non ſit acerbum, ſed maturitate, & odore non careat, & ſit pro conſuetudine limphatum. Infantis verò ſtomacus hoc linimento illinatur.

Rec. olei nardini }
Olei maſticini } an. unc. s.

Pulueris gariofillorum gran. vj.

Ceræ & vini ſtiptici parum; miſce fiat vnctio mol-

lis cum qua vngatur ventriculus mane, & sero donec opus fuerit: vel sic.

Rec. olei de absintio
Olei de spico an. unc. s.
Spet. aromatici rosati gr. x.
Masticis gr. vj.

Ceræ quod satis est, fiat illinitio vt supra, & si cum lienteria adesset ventris dolor, & flatus.

Rec. olei rutacei
Olei masticini an. unc. s.
Pulueris aromatici rosati gran. v.
Pulueris cymini, vel anisorum gran. vj.

Ceræ & vini maluatici parum, vel aquæ vitis; misce & fiat vnctio mollis, cum qua illinatur vt supra. Poterit quoque si opus fuerit, & quod præscipta non sufficienter prosint vti hoc epithemate, vel fotu.

Rec. spet. aromatici rosati dr. ij.
Pulueris diacymini
Pulueris anisorum
Pulueris baccarum lauri an. dr. j. s.

Efferueat simul in vino rubro absque aqua, quan. suff. & si grandiusculus puer fuerit pro vino rubro accipiat vini maluatici tantũdẽ cum tertia parte aquę mentæ, uel absintij, & cum molli spongia linea petia inuoluta fiat fomentatio toto ventri ante lactationem, vel alium cibum. At si alui effluxus alterius speciei esset, quoniam curationem, non amplius conseruationem, vel præseruationem, vel correctionem exposceret, ne operis intentum trascendamus,

mus,

mus, eius fluxus curatio ſuo loco, & in alia ſequenti parte tradetur.

Fons eorum quæ extrinſecus occurrunt.

Aer ambiens qualis ſeligendus.

CAPVT XX.


CVM corpora noſtra in ambiente aere duplici ratione verſari neceſſariò contingat, quia videlicet corpori noſtro vndique circunfunditur, & nos ambit, ac etiam quia per anhelitum ab ipſis corporibus velimus nolimus ducitur, quemmadmodum Gal. oſtendit in ſuo lib. ad Traſi. cap. 18. Idcirco licet à fonte admouendorum, vel ſumendorum à nobis receptus fuerit aer, qui ſit purus pro cordis, & caloris refrigerio, ac pro ipſum repurgando, exhauſtumque ſpiritum recreando, vt ſuo loco patet, præſtat modo aerem rurſus ſeligere vltra id quod purus ſit, eas habere qualitates, tùm actiuas, tùm paſſiuas, quæ pro conſeruanda propoſiti nobis infantis ſanitate conueniant. Deberet igitur temperamento infantis calido, & humido, aeris temperamentum ſimile eſſe, & non modo in qualitatibus, ſed etiam in ipſarum pari gradu, alioquin ſi excederet, non conſeruaret, ſed augeret, & ſi deficeret rationem contrarij haberet, & ſic potius alteraret, quam

conſeruaret; oporteret igitur, vt aeris temperamentum temperamēto infantis abſimile in qualitatibus, & earum gradu non exiſtat; vt per eundem Gal. patet lib. 3. meth. cap. 3. nec non lib. 11. cap. 3. & primo de ſanitate tuenda cap. 7. vbi eos redarguit, qui putabāt calidas frigidis, & humidas ſiccis naturas eſſe ſeruandas; inquiens eos ignorare præcepta Hippocratis ſuper 1. apho. apho. 16. vbi inquit. victus humidus &c. Præterea in lib. art. med. cap. 86. voluit calidiora corpora calidiorem victus rationem expoſcere, & ſic de cęteris combinationibus. At cum ſecus ſentire videatur primo de ſanitate tuenda cap. 11. vbi ſic inquit. In quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs vtiliſſimus aer eſt, qui ei qualitati maxime eſt aduerſus, frigidus calido, & calidus frigido, & ſic de cęteris. Hoc idem ipſemet Gal. atteſtatur eodē primo de ſanitate tuenda cap. 6. inquiens; quippe intemperies quæ intra ſanitatis ſunt terminos corrigere oportebit, ita ut quæ iuſto ſicciores natura ſunt, humidiores reddas, & quæ humidiores ſunt, ſicciores, & quæ ſeq. Hoc idem expreſſit ſup. 3. aph. com. 2. inquiens cum Hippocrate. Ad æſtatem itaque frigidę, & humidæ naturæ optime afficiuntur, ad hiemem vero calidæ, & ſiccæ, ſicuti & male afficiuntur æſtate calidæ, & ſiccæ & quæ ſeq. Clarius adhuc idem expreſſit in comento ſubſequenti vbi ſic inquit, & vt ſimpliciter dixerim, contrarij quidem ad cōtraria bene, ſimiles autem ad ſimilia male; quæ ſingula Gal. aſſerta ſibi ipſis profectò contraria cum uideantur,

tur,

tur, non leuem afferunt difficultatem, vt citatis locis legitur. Nihilominus ad eiusmodi ambiguitatem tollendam sic dicerem, Galenus in opere de sanitate tuenda triplici uia, vel modo conseruandi utitur, vno videlicet modo, qui dicitur conseruatio, altero qui dicitur resarcitio, vel reasumptio, alio nec nō qui dicitur correctio. Conseruationem, & resarcitionem per similia fieri in arte ipsa docetur, correctionē vero per contraria: conseruatione namque à simili vtitur, quoniam vult qualis ea fuerit æqualitas intra sanitatis limites talem conseruare. Resarcitione uero substantiæ quę continuò defluit, correctione uero cum æqualitas ipsa labatur, & ad ęgritudinem uersus tendat, & sic ut ad sui naturalem constitutionem redeat, uel ut ad melius commutetur, nam ij sunt scopi, qui à Galeno intenduntur in sanitate tuenda, quod ipse in suo 8. meth. ca. 9. apertissime expressit inquiēs. Quippe duplex nobis in ijs qui sani sunt finis proponitur, nempe uel corpus sanum in pristina eius temperie tueri, uel etiam hanc meliorem reddere. Præterea conseruationem, quæ fit à simili, & eam, quæ fit à contrario ambas edocuit lib. 6. de sanitate tuenda cap. 3. Idemmet Gal. inquiens: quapropter si eorum, qui natura humidiores, calidioresq; sunt mutare temperamentum ad frigidiorem, sicciorem q; speciem libet, contrariam his uictus rationem exhibeas oportet, sin id custodire placet similiter. His igitur suppositis neminem profecto mirari licet quod quādo Gal. temperamentum, vel æqualitatem conseruare

docet, talem, qualis eſt à ſimili conſeruare edocuerit, cum unumquodque à ſimili tale quale eſt conſeruetur. Et quoniam idem Gal. uult corrigere æqualitatis lapſum, uel temperantiam aliquam in una, uel ambabus qualitatibus exſuperātem, lapſum eius per contraria corrigendum, uel eādem ad melius permutandam ſuo adhibito contrario edocuerit, ut ex citatis locis id quod dicitur clariſſime conſtat. Præterea neque pariter mirari licet ſi Gal. ſuper 3. aph. comento 2. dixerit, atque firmiter aſſeuerauerit, quòd frigidæ, humidæq; naturæ ad ęſtatem optime afficiuntur, ad hiemem uerò calidæ & ſiccæ, quemmadmodum & è conuerſo male afficiuntur calidæ, & ſiccæ ad ęſtatem, & frigidæ & humidæ ad hiemem. nam ibi cum loquatur de intemperatis naturis in utraque qualitate temperamenti excedētibus, vt legitur in ipſo com. nemini mirum uideri debet ſi Gal. dixerit intemperatas eiuſmodi naturas ad æſtatem optime affici, & ſuo contrario iuuari, meliusq; ipſarum exuperante frigiditate, nec non humiditate contemperata; ſicuti pariter quiſque minime mirari debet, ſi idem Gal. in eodem com. dixerit intemperatas naturas ad hiemem ſuo contrario refrigerari, atque humectari, & idcirco melius affici earum exuperante caliditate, atque ſiccitate contemperata, pariterq; ſi dixerit intemperatas ipſas naturas ſuo contrario iuuari, & bene ſe habere, ad ſimilia uerò deterius, & male ſe habere. Et ſi unuſquiſq; hoc fatebitur, qua de cauſa id quod apud omnes homines in confeſſo eſt, cū præſertim ad ſenſum

pateat

pateat ipsi quoque Gal. fateri non licuit, fortasse ob id quod sibimet repugnantia dixerit? hoc profectò non est temere dicendum, quãdoquidem nullibi locorum aliter Galenum sentijsse legitur, si namque in opere de sanitate tuẽda dixerit, intemperatas eas naturas, quæ intra sanitatis limites continentur, probeq; suas edunt actiones à suo simili conseruãdas esse: quamuis de his loquutum fuisse, quæ non multũ à mediocritate recedunt dici posset, & nõ de illis, quę magis in temperamento exuperantes habent qualitates, nihilominus respondetur, quod Gal. ipse docet modum conseruandi unumquodque temperamentum, & per similia conseruari debere, cum ad hoc ut conseruet, oporteat esse simile, alioquin si dissimile esset alteraret, & commutaret, minime uero conseruaret, & non propter hoc negauit umquam illud idẽ temperamentum ad melius commutari posse à suo contrario, immo idemmet Galenus quomodo idem temperamentum sit à simili seruandum, si ipsum cõseruare libeat, & quomodo per suum contrarium ad melius commutari ualeat illud idem temperamentũ, si quis illud cõmutare studeat expresse docet cit. lib. 6. de sanitate tuenda cap. 3. inquiens; Quapropter si eorum, qui natura humidiores, calidioresq; sunt mutare temperamẽtum ad frigidiorem, ficcioremq; speciem libet, contrariam his uictus rationem exhibeas oportet, sin id custodire placet, similem. Præterea illud idem in lib. artis med. cap. 86. Idem quoque cit. sup. 1. aph. com. 16. ex Hip. placito. Idem quoque lib.

6.de ſanitate tuenda cap. 2.commutationem uero ad melius temperamentum per ſua cōtraria edocuit lib. 5.de ſanitate tuenda cap. 2. inquiens, quòd ſi in aliquo ſit erratum corrigendus eſt error: corrigendi omnis erroris communis ſcopus eſto contrarij exceſſus vſurpatio, cit. autem lib. cap.x.inquit. Quinetiam intemperies ipſas quæcūque adhuc intra ſanitatis fines ſubſiſtunt, ſi corrigere ſtudebis, contraria quodammodo victus ratione curabis. In ſexto vero de ſanitate tuenda cap. 3.inquit. In eo autem qui eſt in calido, frigidove ad intemperantiam lapſu contraria dare ſemper expedit, cum efficaciſſimę eiuſmodi intemperies ſint, quippe cum facile ſimilibus nutrimentis in morboſam intemperantiam abeant. In primo autem de ſanitate tuenda cap. 6. Gal. ita inquit, quippe intemperies quæ intra ſanitatis ſunt terminos corrigere oportebit ita, vt quæ iuſto naturę ſicciores ſunt, humidiores reddas, quæ humidiores ſunt ſicciores: pari modo quæ frigidiores ſunt, vt harum exceſſum caſtiges; quæ calidiores earum ſuperantiam ad moderatius reuoces. Hæc, qua ſalubris victus ratione fiant, procedente ſermone docebimus: hæc Gal. His igitur ſuo ſenſu examinatis dicendum eſt, quod cum Gal. vtrumque ſcopum ſanitatis tuendę in docendo oſtēdere voluerit, primum videlicet ſanitatis eius, quę nō imaginaria, ſed quæ ſenſu aduerti poſſit exacta, ſummaq; dicitur. Sui cuſtodiam per ſimilia docendo quēmadmodum, & eius quæ puerorum eſt, quam optimam cenſuit vnà cum Hip. lib. 3.aph. apho. & com.

18.& primo de ſanitate tuenda cap.7. ſecundum vero ſeruauit ſingularum intemperantiarũ, quę ab exacta illa nimium recedunt, & nihilominus in ampla latitudine continentur, correctionem per contraria docẽdo, vt ipſemet Gal. annuit in ſuo primo de ſanitate tuenda cap.6.vbi inquit. Nos interim ad eas quę inaperto ſunt reuertimur: quarum cum duplicem ſtatuamus ſubſtantiam, vnam de qua plane queri non ſit, alteram de qua queri liceat; de qua modo verba fecimus, ſuum vtrique ſcopum reddamus: nempe ei quam inculpatam diximus, exactam, abſolutamq; plane, quod vtique ſenſu aduerti poſſit cuſtodiam. alteri de qua conquerare nõ exactam: quippe intemperies quæ intra ſanitatis ſunt terminos corrigere oportebit, ita vt quæ iuſto ſicciores naturæ ſunt, humidiores reddas: quæ humidiores ſunt ſicciores: pari modo quæ frigidiores ſunt, vt harum exceſſum caſtiges; quæ calidiores, earum ſuperantiam ad moderatius reuoces. Per ſimilia igitur optimas naturas, & quæ ad ipſas magis proxime accedunt, Per contraria autem intemperatas, & quæ ab optimis recedunt in citatis locis, & alijs Gal. ſeruandas eſſe docet; vt etiam patet ſuper 3. aph. cit. 2. & 3. com. vbi naturas, & ętates ad contraria tempora, loca, & victus genera melius ſe habere, deterius autem ad ſimilia ex Hip. ſententia expreſſe atteſtauerit. Idem quoque primo de ſanitate tuenda cap.11. expreſſit, inquiens. Sed corporibus, quæ optimo temperamento ſunt, etiã optime temperatus aer eſt ſaluberrimus. In quibus vero aliqua

aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs vtilissimus aer est, qui ei qualitati maxime est aduersus, & quæ sequuntur. Præterea intemperatas eas naturas, quæ non multum ab optima recedunt, per vtrumque scopum seruandas docet ad libitum curantis, ut expresse patet lib. 6. de sanitate tuenda cap. 3. vbi sic inquit. Vtique si seruare temperamẽtum studes humidis naturis humectante cibo maxime quadrante, siccis vero, eo qui siccet, sin alterare placet contrarijs, & paulo infra inquit. Quapropter si eorum qui natura humidiores, calidioresq; sunt, mutare temp. ad frigidiorem, sicciorémq; speciem libet, cõtrariam his victus rationem exhibeas oportet, sin id custodire placet similem. nulla igitur in Gal. verbis contradictio reperitur, & idcirco contradictionis crimine temere accusandus à nemine fuerit. At siquis fortasse rursus aduersus eundem Gal. obijciat, quòd diuersimode custodiendæ sanitatis artem edocuerit, propriumq; artis eius genus transcenderit, simul ac contraria præsidiorum genera vsurpãda esse doceat pro sanitate custodienda, vt qui modo similia, modo contraria celebrauerit. Quamuis id supra ex dictis magna ex parte constare valeat, nihilominus ad diluendam obiectionem, nõnullas rationes cum eodem Galeno adducam, quæ ipsum plenè excusatum ostendent. Inquit enim primo de sanitate tuenda cap. 5. Postea nãque quum editum in lucem animal est, perpetuo mutari eius temperamentum est necesse; quare si in temperamenti qualitate sanitas constituitur, qualitas au-

tem

tem ipsa non permanet eadem, nec ipsam sanitatem eandem seruare est possibile. In suo autem ad Trasib. cap. 19. hoc idem innuendo inquit. Cum vero aliquã tulum moderationem transierit, continuo quod deficit priusquam latius malum serpat resarciat, & paulo infra subdit. Verum si ex toto integrum, illesumq; corpus duraret tale quale ab initio creator fabricatũ reliquit, nequaquam correctore eguisset. At nunc cum diffluat semper, atque dispereat, aliquo presente obseruatore indiget, qui, & quod dissipatur, quantum, qualeq; sit cogniturus est, illicoq; tale, ac tantum vicissim reponens instaurabit, & quæ seq. & lib. 5. de sanit. tu. cap. 2. inquit. Quod si in aliquo sit erratum corrigendum, porrò omnis corrigendi erroris communis scopus esto contrarij excessus vsurpatio. Et tãdem in arte medica cap. 86. sic inquit. Nam tale causarum genus naturales corrigit intemperantias. Alterum vero de quo supra diximus temperaturam conseruat. Est autem vtriusque vicissim apud medicos necessarius vsus. Nam cum plurimum suppetit ocij corrigere oportet, ac sensim ad meliora transferre, & sic de correctiuæ partis necessitate iam satis constat. Vnde digressi fuimus mox est redeundum. Conseruandum est infantis calidum, atque humidũ temperamentum non modo ratione ætatis, sed ab eius ortu in singulis suis particulis tale adeptum; & primo de actiua ipsa qualitate videlicet caliditate, quo pacto conseruanda sit expendamus. Conseruationem fiendam esse iam satis ex arte constat, quan-

quidem si dissimile fuerit in qualitatibus non conseruabit, sed commutabit alterando eum, si excedat, intemperantiam augebit, & ab optimo temperamẽto magis ipsa recedet; si verò aer ipse remissiores habuerit qualitates, rationem potius contrarij, & refrigerantis obtinebit comparanter ad temperamentum infantis, & sic non seruabit, sed commutabit vel in minus calidam, ac pariter minus humidam, vel in calidiorem, atque humidiorem. At cum perdifficile sit non errare cuilibet qui exquisite similia adinuenire putauerit, quandoquidem ipsemet Gal. 1. de sanit. tu. cap. 11. de pueris loquens inquit. Nec ipsos super quam par est humidos, calidosque fieri, quoniam eò iam caloris humorisq; peruenerunt, vt si paululum vtramque qualitatem auxeris, iam modum excesserint. At cum excessus omnis sit fugiendus Gal. inquit cit. loco, maxime hunc fugere expedit, ex quo non corpore modo, verum etiam animo damnum accedit. Præterea cum lapsus ipsi in primis, actiuisque qualitatibus præcipue contingere soleant, vt puta in calida intemperie, quippe cum efficacissimæ sint qualitates atque potentes, vt facile similibus nutrimentis in morbosam intemperãtiam abeant eodem Gal. authore lib. 6. de sanit. tu. cap. 3. Hac de re igitur ab Hip. & Gal. nõ recedens, sed suis autoritatibus addictus pro cõseruando infantis temperamento calido videlicet, & humido, & non multum in vtraque qualitate excedente ab ipso fonte attemperatum aerem seligerem: quandoquidem Hip.

& cum

& cum eo Gal. 3. aphoriſmorum aphoriſmo & com. 18. nec non Gal. lib. 6. de ſanit. tuen. Puerorum naturam optimam ſtatuerunt, & Hip. in 1. aphoriſmorum, & cum eo Galenus aphoriſmo, & com. 16. puerorum naturam inter inculpatas habuere, & per ſimilia ipſorum temperaturas conſeruari debere aſſeuerarunt, nec non idem Gal. 1. de ſanit. tuen. cap. 7. illud idem aſſeuerauit. At cum idem Gal. 1. de ſanit. tu. cap. 11. monuerit, quòd corporibus, quæ optimo temp. ſunt etiam optime temperatus aer eſt ſaluberrimus; idcirco pro infantis ſanitate ſeruanda attemperatus aer iure merito eſt ſeligendus, naturis ſiquidem bene temperatis optimum tempus tunc eſt, quando optimam habent temperiem Gal. inquit cit. loco aph. 3. com. 18. Et 1. de ſanit. tuen. cap. 8. recte profecto inquiebat, qui curam infantis educandi suſcipiet hunc plane vt aerem mediocritatis cõuenientisq; coniectorem eſſe oportere; quandoquidem difficillimum cum ſit in arte temperamentorum ad vnguem gradus peruestigare, vt ſupra cap. 6. de ſignorum genere oſtenditur; tutius procul dubio fuerit ad mediocritatem, & optimum temperamentum accedere pro conſeruanda ſanitate, quam modo quolibet excedere in caliditate, vel frigiditate, & ad exceſſum tendere: excedendo ſiquidem deterius temperamentum euadet, & ad morboſam intemperantiam propius accedet. Declinando autem verſus mediocritatem ipſam tutius fuerit, & ad melius permutatio. Euitandæ autem ſunt aeris intemperantiæ, & præci-

pue

pue cum in frigore, vel calore, vel in humido ſint excedẽtes, nam cum ſuturas latas habeant pueri ipſorum cerebro non leue detrimentum aeris inclementia ſepæ intulit, & hæc de aeris ſeligenda temperie.

Idem Fons.

Quale ſit lauacrum pro infante ſeligendum, & de eius commodo tempore.

CAPVT XXI.



B eodem fonte lauacrum hauriendum erit, ſed quoniam varia ſunt, quæ parari ſolent, quale ſit à nobis ſeligendũ diſquiramus. Antiquiores laudant lauacra ipſa cum aqua ſalſa, & vino ſimul permixtis. Hodie vero vtimur aqua dulci, & præcipue in æſtibus, cæteris verò tẽporibus aliquid generoſi vini albi admiſcent, quod lauacrum valde à me comprobatur, tùm quia partibus ipſis robur aliquod inditur, tùm etiam quia ab humido illo excremẽtitio partibus inherẽte obnoxij minus perſiſtunt, cum exſiccationis alicuius non ſit expers. De abluẽdi vicibus, dicimus toties abluendum eſſe infantem, quoties eius inuolucria, & linteamina cum infante ſimul ſordida ob eductas alui fæces, & vrinas extiterint. Poſt lauacrum ipſum noua, mundaque linteamina, & faſciæ, decenter tepefacta, quibus lauacri hu-

miditas probe exſiccari valeat, qua humiditate exſiccata, & ſic prope ignem loto, & ſubinde lactato infante alio mundo linteamine, vel petia (vt dicunt) decenter calefacta inuoluatur, & munda quoque faſcia omni cum dexteritate extenſis membris cum cautela, & non arcte nimis circundetur. De tempore quo fieri commode lauacrum valeat vtique ventre uacuo, & cum ventriculi alimentum, vel diſtributum, vel ſaltim coctionem ſuſceperit: tunc vero cõgruum id tempus cenſeri poterit, cum longum conciliauerit ſomnum, à quo excitatus, non fuerit denuo lactatus ante lauacrum. A frequenti nimis lauacro abſtinendum fuerit, neceſſitate aliqua non vrgente, frequens namque lauacrum, vt Moſchio ille græcorum vetuſtiſſimus monet, infantium corpus flaccidũ reddit. Pro nutrice verò, cùm ſub eodem aere degere debeat eo ipſo fruatur. Lauacris vero ea tantum vti debet, vt munda ſeruetur, & ſi caput pro eius cõſuetudine abluere velit, diligenter curet tepeſcentibus, vel calentibus lineis pannis caput ipſum probe exſiccare, & omni ingenio caueat, vt in abluitione ipſa deſtillatio aliqua non promoueatnr, vt poſtea ſibi, & infanti detrimentum afferatur. Et hæc de infantium ſanitate conſeruanda dicta ſufficiant.

Finis Tertiæ Partis.



IACOBI



IACOBI TRVNCONII MEDICI AC PHILOSOPHI.

De curandis morbis quibus Pueri apprendi solent dum lactantur ex Hippocrate.

Tractatus Quartus.

CAPVT PRIMVM.



OLENT infantes,& pueri vt Hippocrates monet in suo 3. apho.24.& 25.plurimis morbis varijsq; simptomatibus tẽtari, quos affectus idem Hip. cit. locis reccensens inquit,vt oris ulcera, quæ ἄφθαι græce dicuntur, vomitus, tusses, vigiliæ,pauores, vmbilici inflammationes,aurium humiditates, ab his ante dentitionem corripiuntur. Et cum iam dentire incipiunt gingiuarum prurigines, febres,cõuulsiones, alui profluuia,& præsertim dum caninos dentes edunt, quibus singulis curationem tradere post tractatum de ipsorum puerorum seruanda sanitate operæ prætium esse duxi. de aphtis igitur, siue alcula sequenti cap. pertractabimus.

De oris vlcusculis siue alcola Infantium.

CAPVT SECVDVM.



APTHAE, vel alcola vlcuscula sunt in summa oris parte infantibus efflorescentia, quarum binas Gal. tradit causas, vna videlicet mollities illarum partium ob quam neque tactum, neque lactis serosam partem substinere valent. cũ namque detersoriã facultatem cum serosa illa partẽ obtineat, nõ est mirũ quod ipsa detersione crebro illæ partes tentatæ vlcerentur, vt optime animaduertit Gal. in citatis locis. Sunt igitur causæ partium mollities, & nimia ipsarum detersio. Alia quoque addenda dictis uidetur causa, & est sucti iam lactis portio aliqua in ore infantis detenta, linguæ, & palato, vel circa fauces inherens, & à uaporibus tùm à ventriculo ascendentibus, tùm etiam à respirato calidiori aere adeo alteratur, atque corrumpitur, vt acredinem acquirat, qua acredine partes illæ putredini valde obnoxię facile exulcerantur; si antequam malum serpat partes ipsæ non detergantur, atque abluantur. Nutrix igitur dextera sit, & prouida, ut si senserit infantem in suggendo lac fatigare adeo vt ploret, & papillam respuat, & tunc diligenter oris partes internas inspiciat, & si viderit dictarum partium aliquam iam dealbatam, ibiq; veluti lac concretum pertinaciter

inherere, tunc sciat quod vlcuscula iam suboriri, & efflorescere incipiunt, & illico ad præseruandum se paret, & ad curandum si opus fuerit. In primis; & quam primum partes illæ albescentes sic illinantur.

Rec. mellis leuiter despumati dr. ij.
Diamoronis unc. s.
Aquæ plantaginis
Aquæ acetosæ an. unc. ij.

Misce cum molli, & munda petia linea digito nutricis obuoluta, & ipso linimento illita partes illæ liniantur, & leuiter detergantur. & si forte in radicibus linguæ, & circa gurgulionem vlcuscula ipsa suboriri ceperint, hoc linimento vberis papilla intingatur, & in ore ad suggendum indatur. vel fiat sic.

Rec. cotonis finissimi, & cum ipso fiat penicillus qui intingatur in ipso linimento, & cum ipso pars quæ affecta fuerit abluatur, vel detergatur. Proderit quoque diamoron cum aqua ordei in primis accipere, & cum ipso vlcuscula illinire, & subinde penicillo detergere: sed vt curentur quæ exulceratæ sunt partes, & præseruentur, quæ adhuc vlceratæ non fuerint.

Nutrix singulo mane antequam infantem lactet ipsi coclearis dimidium misturæ huius exibeat;

Rec. mellis leniter despumati, & modice cocti
Aquæ Borræ an. coclear j.

Misce exhibeatur infanti ante lactationem per aliquot spatium coclearis dimidium singulo mane, & sic per duos dies tantum. Debet nutrix tunc tem-

poris abstineri ab omnibus acribus, & salsis edulijs, & vinum sumat modice limphatum, & in modica quantitate. Caueat quoque, ne post exercitium, vel alium laborem, ac etiam vbi expergiscitur à somno infantem ipsũ lactet, ni prius per duas vices lac ipsũ è mammis emunserit. & hæc de Aphtis.

De Vomitu Infantis curando.

CAPVT TERTIVM.



VOMITVS est expultricis facultatis deprauatus motus ad ea quæ in capacitate ventris contenta ipsum contristant, quam citissime per stomacum vacuãda Gal. inquit 3. de simp. cau. cap. 2. Causa autem est multitudo ingurgitati lactis, vel alterius cibi cum eo vt Gal. voluit 3. aphorismorũ com. 24. Curandum igitur ne ventriculus lactis copia grauetur, debet igitur nutrix longioribus interuallis infantem ipsum alere, atque curet simul, vt moderate magis lac ipsum sugat, & ne auide nimium ingurgitet. Nutrix ipsa quoque in suo cibo, & potu moderate se gerat, & interim poterit infantis ventriculum roborare si singulo mane, & etiam sero si oportuerit hoc linimento illiniat, ut non lassetur, sed eius facultates roborentur.

Rec. olei de absintio
Olei melini an. dr. iij.

Gario-

Gariofillorum gr. ij.
Ceræ parum; miſci fiat vnguentum molle, cum quo ventriculus liniatur mane, ſeroq; ſi vſus exposcet.

De tuſſi curanda.

CAPVT QVARTVM.



VSSIS vt Gal. eſt autor in ſuo 2. de ſimp. cau. cap. 4. vehementiſſima eſt quædam efflatio, quo plurimus, celerrimuſque foras actus ſpiritus attrahat, propellatque ſuo impetu quę vias ſuas obſtruunt. uiæ autem, & inſtrumenta, quæ ab ipſa obſtruente materia tentantur ſunt fauces, aſpera arteria pulmones, interioraque thoracis. In pueris verò cauſa eiuſmodi tuſſis ſtatuitur defluxus humiditatis in ipſorum capite ſcatentis, & ad partes ipſas illabentis. Ad eſt quoque genus aliud tuſſis à qua ſolent infantes infeſtari, & eſt à vermibus contingens, quoties vel ventris os, vel gulam morſu irritant, quemmadmodum non nulli atteſtarunt ut Gal. aſſerit in 6. de morbis vulg. com. 2. com. 17. quorum opinioni ſubſcripſiſſet, ſi re vera ita accidere compertum ſibi foret, vt legitur cit. loco. At cum ego id cõpertum habeam, & oculata fide teſtari valeam, hanc aliam cauſam afferre mihi libuit, à qua non rarò infantes infeſtari ſolent, & ſicut prima quæ ob defluxum à capite

 oritur,

oritur, numquam humiditatis copiæ est expers, hæc alia tussicula sicca est, & ab ea nulla ferè propellitur humiditas. Aliæ præter dictas ab authoribus tussis species afferuntur, sed quia illæ nunquam fere infantes tentare solent, idcirco eas omittere decreui. Ad curam igitur eius quæ ex defluxu contigit modo accedamus. Quandoquidem indicationes curandi à natura curandarum rerum desumi debet. Curanda est tussis, hæc autem cum opus naturæ sit, sed ab his quæ naturam cogunt, & idcirco inter simptomata quæ præter naturam sunt adnumeratur, ut per Gal. patet lib. 2. de simpt. caus. cap. 3. & 4. quod opus infantes ipsi nemine docente, sed ex repente usu suapte natura perficiunt, qua de re cum sagacissima natura magna solertia hunc motum, qui tussis dicitur adinuenerit, ut Gal. cit. locis asserit, ad cordis tutelā, & instrumētorum eius himnis idcirco extollendam esse antiquiores peruulgarunt Tussis hæc sedari indicat, per remotionem excremēti obstruentis asperam arteriam, & cæteros pulmonis ductus, vel secus dictas partes afficientis tanquam eius proxima causa, causa hæc autem cum sit excrementum ad eas partes iam illapsum, indicat inhiberi antecedentem causam videlicet fluentium destillationem, quæ causam ipsam fouet. Destillatio hæc autem ut sedetur, euacuandam esse redundantiam indicat à fonte à quo effluit, uel ad ipsum fontem retrahendam, uel ab eo deriuandam. Fons ipse autem cum à cerebro redundātiam ipsam scaturiat, redundantia hæc autem ma-

gna ex

gna ex parte fiat per uaporum frigidorum, atque humidorum à uentriculo, & toto corpore ad ipſum afluxu, & ex parte etiam ob intemperiem per afflux ũ ipſum in cerebro acquiſitam, idcirco ut fons exſiccetur, & eius redundantia tollatur, & ut cerebri temperamentum ad priſtinum redeat, affluxum prius inhiberi recta methodo indicaretur tanquam vltimum per reſolutiuam methodum inuentum. At cum tuſſis in infantibus periculo non uacet, quippe cum ab eius cauſa reſpiratio impediatur, ex quo impedimento ſuffocationis periculum nõ leue imminere ſoleat, impeditur sõnus, & exagitatione ipſa comitiales morbos excitari contingat, & plurimos ab affectu ipſo enecari, idcirco ratione urgentis legitima curatione ad illegitimam uerſa, proximam cauſam quamprimum reſpiciendo primus qui pręfigitur ſcopus eſt educendum eſſe, quod aſperam arteriam, & pulmones occupat excrementum. Cæteri uero qui ex ſuis indicationibus eliciuntur, & interim perficiendi ſcopi ſunt inhibendos eſſe uapores, & eorundem affluxum; euacuandam eſſe cerebri redundantiam, uel alio auertendam, uel deriuandam, cerebrum roborandum. Vt primo ſcopo igitur ſatisfaciamus, & quamprimum naturæ auxilium afferamus ad ea educenda, quæ ſpirandi partes occupant, hæc perſcribuntur præſidia, & ut à facilioribus, leuioribuſque incoamus.

Recipe olei amigd. dul. recenter, & abſque igne ext. unc. j.

Olei amigd. amar. ſic extracti dr. ij.

Mellis deſpumati, & vt hac dulcedine alliciatur, uel Zaccari candi coclearis dimidium, cum hac mixtura papilla vberis liniatur, & ori indatur, vt cum lacte ſugat. vel ſic.

Rec. pul. didragachantis.

Spet. lhoc ſani, & experti an. dr. j. s.

Mellis deſpumati, & modice cocti unc. j. s.

Miſce, & de hac miſtura ſi annum iam attigerit ſępius parum exhibeatur, vel ſi minor fuerit nutricis papilla aliquãdo illinatur. vel ſic ſi ad ſecundum annum iam accedat.

Rec. ſy. de Iſopo.

Sy. capillorum veneris an. unc. s.

Aquæ capillorum veneris vnc. s.

Miſce exibeatur infanti coclear j. pro vice ante alium cibum bis in die. Nutrix præterea ſi ſolidiori cibo, vt panis eſt in aqua, vel iure ferueſactus aſſuetus fuerit, cum ipſo ferculo oleum amig. dulcium aliquãtulum immiſceat, pectuſque infantis cum eodem oleo inungat, vel hoc alio linimento, vt.

Rec. olei amigd. amararum unc. j.

Axungiæ anatis, vel galinaceæ dr. ij.

Ceræ parum, & fiat vnctio mollis cum qua vngatur pectus infantis mane, & ſero. Præſtabit quoque ſi axungia galinacea pedum plantas prope ignem, anteaquam puer faſcijs obuoluatur, inungat mane & ſero. Interim dum hæc fiunt, alius quoque ſcopus eſt reſpiciendus, & vt vaporum affluxus in cerebrum

inhibea-

inhibeatur, tùm circa infantem, tùm etiam circa nutricem nõ leuis cura adhibenda erit. Curet igitur nutrix, vt infans moderate alatur, & caueat, omninoq; vitet infantis nimiam satietatem, & nimiam lactis ingurgitationem, & optimo lacte alatur. Vt tale existat, nutrix ipsa in cibo, & potu se gerat, quemmadmodum suo loco diximus, sed parcius alatur. Constent sua fercula ex amigdalis, orizza, farina ordei cũ iure carnium, & condiri poterunt, melle, butiro recenti, passulis, oleo amigd. nec non vti poterit caricis pinguioribus, pineis, appijs malis coctis & Zaccaro conditis. Ab erbaceis omnibus edullijs, & leguminibus, & ab obsonijs omnibus abstineat. In prandio tantum potus sit vinum album, nõ crudum, neque acerbum, & eius vnico cyatho decenter lymphato contentetur. In sero autem à vino abstineat, & vtatur pectorali decocto, vel pulli stillaticio cũ modico melle, vel cum penidijs leuiter dulcorato, uel aliquibus guttulis destillati cinamomi, si dulcedinẽ respuere velit lumbricorum causa super additis ipsi potui. Infantis stomacus hoc linimento inungatur.

Rec. olei de spico dr. vj.
Gariofilorum gra. iij.

Ceræ parum fiat vnguẽtum molle cum quo vngatur stomacus pueruli singulo mane. Curet præterea, vt ex consuetudine infantis aluus eat, sin minus ad proprium caput recurratur in præcedente parte cap. 19. & hæc de 2. scopo. Vt tertium scopum attingamus, euacuandum est à cerebro quod redundat excremen-

crementum. Euacuationum genera cum quædam ſint, quæ inſenſibiliter, quædam vero ſenſibiliter euacuent. Quæ inſenſibiliter euacuāt arte parata præſidia in infantili ætate locum profecto non habent, vti ſunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, ut quæ in tenella ætate non tollerentur. Interea uerò quæ ſenſibiliter euacuant medicamenta, ea quæ à toto ciunt, & uniuerſalem euacuationem moliuntur in tenella ipſa ætate ſimiliter non feruntur, ut quæ ſatis habent unde euacuentur. Verum cum cęteræ euacuationes, quæ à parte aliqua fiunt, uel reuulſionis gratia, uel deriuationis commode præſtari ualeāt, idcirco à ſuo fonte præſidium quod à capite excrementi redundantiā euacuet, uel à thoracis partibus eam fluentem reuellendo, uel à uiciniori ab ipſo cerebro deriuando tuto ſeligendum erit. Si igitur in infantis capite, ut ſingulis contingit lactuminis puſtulæ, uel cruſtula lactea efflorescant, ut ſimul, & ſemel, & unico præſidio tùm retrahamus quod ad aſperam arteriam effluit, tùm etiam ab ipſo cerebro deriuemus, præſtabit nouas puſtulas excitare, ut materia illa in cerebro redundans ad cutim, & per ipſas puſtulas deriuetur, & quod deorſum ferebatur, ad ipſas uitales partes per deriuationem ipſam ſurſum trahatur, & ſenſim euacuetur. Excitabuntur uero puſtulæ, ſi nutrix in uertice capitis, uel in occipitio quotidie lactis nonnullas guttulas exprimat, & manu ſua poſt aſperſum. Lac occipitium verſus trahat, ut quæ factæ eſſent reuireſcant, & ſaniem fundant, & ubi non effloruere,

denuo

denuo excitentur, & ad saniosam illam materiam fundendam singula die leuiter proritentur. Quod si pustulæ, uel lactea crusta non appareat, & mundum sit caput, tunc si tussis molesta nimium esset, occipitium ad primam uertebram cádenti ferro inurerem, & emissarium efficerem per quod quæ continetur in cerebro redundantia deriuarem, & sic sensibiliter cõtinuo euacuarem, & si infans subaere Florentiæ degeret, eiusmodi præsidium nõ prætermitterem, quãdoquidem in hac urbe etiam qui sani sunt ad preseruationem fere omnes in occipitio inuruntur, cùm, quibus sic occipitium inustum non fuerit conuulsionibus crebro, & epileptico simptomate plurimos correptos fuisse, compertum fuerit. Præstabit quoque, ut nutrix sit diligens in curando, quòd si muccus ad nares infantis labatur, nares ipsas leuiter detergat, & si forte sordes in earum foraminibus exsiccatę forent, amigdalino oleo liniat, & meatus ipsos repurget, ut muccum ex ipsis naribus repurgare omni ingenio, & dexteritate possit, quemmadmodum etiam ex ore si apparebit humiditas linguam infantis digito intincto melle deterget, & hæc de 3. scopo euacuandi. Quartus & ultimus scopus sic perficitur ut.

Rec. maioranæ.
Attriplicis, Bettonicæ,
Seminum peoniæ,
Macis. Fiat puluisculus ex singulis: misce, & leuis fiat aspersio super comissurã infantis. Et hæc de tussi satis.

De

De instantia vigiliarum pueris contingente.

CAPVT QVINTVM.



SI Puer vigiliarum instantiam patiatur, cum somni abundantia maxime ijs secundum naturam insit, vt in singulis patet, & Gal. etiam asserit 3. apho. com. 24. idcirco à vigilantissima nutrice diligenter perquirendum erit, ob quam causam somnus conciliari nõ possit, & citra eius consuetudinem somnum nõ conciliet. Vt igitur causa peruestigetur. Nutrix eius ita diligenter segerat, & ea diligentia, & ope vtatur, vt somnum puello conciliare valeat, vt in præcedenti parte conseruandi cap. 16. docetur. Verum si adhibita in id perquirendo diligentia, & ope ab ipsa nutrice, nihilominus infans in ipsa vigilia discruciari, & flere non desistat, tunc medicus accersitus, quæ sit passio ob quam puer vigiliarum instantiam sic patitur, diligenter explorabit. Gal. siquidem cit. nuper loco ob aliquam passionem id contingere attestatur. Et si fortasse ob gingiuarum pruriginem, ob ipsam dentitionem, vel ob ventris dolorem, vel à flatibus, vel à lumbricis contigentem, vel ob febrem eiusmodi passionem contingere compertum fuerit ad propria capita recurrendum erit, ibi namque dictarum passionum conuenientia præsidia adinuenire vnusquisque valebit. Nam breuitatis gra-

tia, &

tia, & ne superfluus in eadem repetēdo videar, quod semel præscriptum est, sufficiat.

De pauoribus in somno pueris contingentibus.

CAPVT SEXTVM.


CCIDVNT pueris pauores, & terribilis somnus, quando concurrat ventriculi imbecillitas, & lactis ingurgitatatio plurima. Facultas coctrix igitur se ipsa imbecillior reddita, plurimum ipsum alimentum cùm euincere, & concoquere, & in benignum vertere non valeat, fit vt corrumpatur, quo corrupto vētriculi morsus oritur, & sui oris præsertim ex cuius consensu ad cerebrum impertito, terribiles per somnum fiunt imaginationes, & hoc non modo puerulis, sed & adultis contingere solet. singula hæc Gal. asseuerauit cit. 3. apho. com. 24. Quam primum igitur, vt ad prædictionem veniamus, est malo succurrendum priusquam augeatur, quandoquidem comitialem morbum minatur. In curatione autem quoniam eiusmodi affectus per consensum oritur, inhibēdi sunt vapores qui à ventriculo subleuantur, & sursum petentes cerebro consensum afferunt, & imaginatiuam eius facultatem eorum prauitate effundentes, varijs, & expauescentibus imaginationibus intricant. Vt inhibeantur praui eiusmodi vapores, & consensus tollatur ventriculo propria

affe-

affectione laboranti, & totius mali causæ prospiciendum erit. Prouidebitur autem si quod in eo corruptum est, & inutile excrementum reperitur, euacuetur, & simul prouideatur, vt infans nimium non ingurgitet, & ventriculi facultates sic degrauet, sed parcius ab ipsa eius nutrice alatur. ipsaq; nutrix parcior sit in suo cibo, & potu, & cibis boni succi vtatur. & pipere sua fercula condiantur, vt alias præscriptum fuit, porrò ventriculus eius roboretur, atque cōtemperetur. Parciori cibo à nutrice prouidebitur. euacuationi vero prouideatur partim naturæ cōmittendo, partim naturam ipsam adiuuando, sic;

Rec. mellis despumati, & optime cocti coclear vnum, vel dimidium prout minor natu, vel maior fuerit, exibeatur in mane antequam lactetur, vel per tres horas post assumptum lac ad minus, & sic sequatur prout opus fuerit, & si aluus sponte sua non egerat, ex melle & sale balanum paretur, vel ad præsidia suo loco adscripta recurratur. Interim ventriculus sic roboretur, vt 3. & ultimus scopus cum cæteris compleatur:

Rec. olei de absinthio
Olei de spico an. dr. iij.
Gariofillorum gran. iij.

Ceræ parum, misce & fiat vnctio mollis, vngatur infantis ventriculus, & eius ostiolum præsertim mane, & sero antequam nouum alimentum ei exhibeatur. Et cum infantes in concoctione ob validum caloris robur, planè cæteras ætates longe præstent Gal.

asserente 1. de sanit. tu. cap. 5. sperandum est, quòd prohibita infanti nimia lactis ingurgitatione, & si parcius alatur coctrix ipsa nō amplius grauata suum robur cito adipiscetur; & dum melius concoquet non amplius fiet sumpti alimenti corruptio, & sic vaporum sublatio cessabit, & tandem in puero quietus somnus cōciliabitur, facile namque vnumquodque ad suam popriamq; naturam redit.

Vmbilici inflammati curatio.

CAPVT VII.



SI infantis vmbilicus inflammetur, in primis diebus solo lacte ab vbere, tunc emuncto supra vmbilicum vtendum erit, & rosarum rubearum puluere paulisper locus inspergatur, sin minus inflammatio sedetur, oleo rosaceo omphacino vngi poterit, vel sic.

Rec. olei rosacei omphacini.
Olei amigd. dul. an. unc. s.
Cerussæ ablutæ in aqua rosarum dr. s.
Oui luteum vna cum albumine agitati dimidium.

Misce fiat linimentum cum petijs lineis mollibus, atque in hoc linimento intinctis vmbilico applicentur, neque eas exsiccari permittatur, vel sic.

Rec. vnguenti rosati unc. j.

Optime

Optime agitetur in mortario plumbeo, & cum eo liniatur vmbilicus.

De aurium humiditate in infantibus curanda.

CAPVT. VIII.



QVAMVIS nonnulli autores inter morbos, qui proprie pueros exercere solent aurium dolorem reccenſeant, nihilominus vt Hip. placitum ſectemur, aurium humiditatem abſque. dolore concomitante ex ipſius contextu cit. 3. apho. 24. recipiamus. Dolor autem ſubſequi poſſet, ſi humiditas fortaſſe retineretur, at cum humiditas ea effluat, & non retineatur quemmadmodum Gal. in com. inquit per omnia foramina excernuntur, & vt in praxi quoque ſæpius adnotauimus, & quæ excernuntur humentia ſint excrementa putandum non abſque ratione eſt, quòd nullum dolorem, vel ſaltim leuem afferat infantibus moleſtiam, modò excernatur, & intus humiditas ea minime retineatur: ſed dubium oritur, an humiditas ipſa ab ipſius cerebri excretrice à cerebro propellatur, an potius humiditas ipſa non regulata ab ipſis facultatibus, proprio grauium motu ad aures labatur. In primis ſupponamus cum Gal. cauſam affectus iſtius ſuperfluam non modo totius corporis, ſed & magis cerebri propriam humiditatem eſſe, vt patet in com. cit. loco. Quod igitur à

natura

natura ipſa, & excretricis eius opus ſit Gal. aſſerere videtur, cum dicit. Quare nõ abſque ratione in puerulis, cum ſuperfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur; hæc Gal. Per illud verbum excernuntur denotatur, quod ab excernente facultate ſuperfluitates illæ excernuntur. Ea ſiquidem quæ ſuapte natura, & motu grauium mouentur, per hæc verba potius exprimi debebat videlicet labuntur, decidunt, ruunt, viam capiunt, & cætera verba, quæ idem exprimunt. Præterea quod eiuſmodi ad aures humiditatis motus ſit ab ipſa natura, & eius excretrice facultate non autem grauium excrementorum proprio motu oſtenditur ex hoc quod inferius, & ad decliuiorem locum verſus centrum laberentur ipſæ humiditates videlicet ad colatorium, & ad nares tanquam ad patentiores, decliuioresq; vias, non autem ad latera, & ad nares. Neque obſtare videntur Gal. verba in cit. loco vbi inquit, A natura autem aliena eſt expurgatio per aures, quãdoquidem ipſemet Gal. pluribus in locis ſecus ſentire videatur, vt 1. de ſanit. tu. cap. 13. vbi inquit. Cerebrũ plurimis, maximiſque canalibus expurgatur, primum per aures vtraſque 2. per nares & palatum 3. per caluæ comiſſuras. Idem quoque aſſeuerauit lib. 2. ad Glauc. inquiens, cerebrum autem, atque eius membranas per palatum, & gargarionem, & nares, & aures. Idem quoque lib. 2. de locis aff. cap. 9. vbi inquit; cerebri vero redundantia per nares præcipue, nonnunquam vero per palatum, & aures uacuatur. Si igitur excrementum à

cerebro per aures euacuatur,per propriũ ſuum excer
niculum profectò excernitur, vt ex dictis autoritati-
bus conſtat,& quoniam eiuſmodi excrementitia hu-
miditas in cerebro ſuperabundat, vt in cit. 3. apho.
legitur,idcirco ſui euacuationem expoſcens talis eua-
cuatur, qualis euacuari debet. Et quoniam excerni-
tur ab excernente facultate, vt oſtenditur, & non per
ſemetipſum labitur, videtur vtiq;, quod excretio di-
ctæ humiditatis ad aures ſecundum naturam ſit,& id
circo adiuuanda potius, quàm reprimenda eſſet, vel
alio pacto curanda. Ex aduerſo autem,cum diuinus
ille ſenex eiuſmodi aurium humiditates inter paſſio-
nes, vel morbos dinumerauerit, dicendum iure me-
rito eſt, non ſecundum naturam,ſed præter naturam
eſſe. Ad ambiguitatem vero Gal. verba ſic cõcilian-
da videntur. Vera quidem ſunt Gal. verba ſuper 3.
apho. quod videlicet aliena ſit, quæ fit per aures hu-
miditatis expurgatio. Et vera pariter ſunt Gal. uerba
ex aduerſo citata,quod videlicet aures excerniculum
ſint inter cætera per quod cerebrum expurgatur, ſed
non ab humiditate illa, & mucco, vel pituita, ſiqui-
dem hæc per nares, & palatum tantummodo ſecun-
dum naturam,& ſenſibiliter euacuãtur. Per aures ve-
ro ſordes illa biliosa tantum,quæ cerea dicitur vt do-
ctiſſimus Matthæus de gradu atteſtatur ſuper 9. ad
Almanſorem in cap. proprio in ſua commentatione
inquiens. Primum quod cerulea humiditas, quæ ce-
ra hic appellatur naturaliter reperitur in vacuitate au
ris, quia ſuperfluitas colerica, quæ decidit ex dige-

ſtione cerebri, uel partium ei vicinarum,& tranſmittitur illuc tanquam ad emunctorium. Vetuſtiſſimus quoque Aræteus perpulchre, & elegãter, diſtinctéq; hoc idem aſſeuerauit, inquit enim ſic. In omnibus item partibus humorum eſt creatio, ac ſeparatio, ſed aliorum alia ſingulis autem propria, vt puta in carne ſudor,in oculis lachrima,in articulis,& naribus muccus, in auribus cypſelis græce dicta; latine aurium marmorata, ſeu cerumina nominant; hæc clariſſimus Cappadocius. Tandem igitur concludendum eſt ciuſmodi humiditatis ad aures affluxum, facultatis opus eſſe, ſed non rite obitum, naturæq; inclinationem non idoneam, & hæc de ambiguitate ſatis. Ad prædictionem modo redeamus, vt deinceps curatio explicetur. ſi humiditas ea intus nõ retineatur, ita ut ratione membranarum auditorij nerui inflammatio, febres,& dolor contingant, ſed extra euacuetur, haud difficilis erit curatio; at difficilis ſane foret, & periculo quam maximo non uacaret,ſi intus excrementum retineretur,& ſenſibiles ualde eas partes occuparet, & febris, dolorque ſubſequantur, ut Hip. aſſeuerauit in ſuo 3. prognoſticorum textu 13. nec non magnus ille Celſus, & clariſſimus Alexander Trallianus. Ad curam igitur infantis feſtinandum ſic erit. In curatione quæ iam fluxa eſt ad aures humiditas per eas euacuari indicat, quæ autem adhuc non fluxit ad nares, vel ad palatum deriuari: licet tutius ad nares, quàm ad palatum fieret, quandoquidem pueruli ad expuendum ſint expertes. Deinceps, ne

 ulterius,

vlterius, denuoque redundantia progignatur, uniuerſo corpore nec non uentriculo mandantibus, cerebroq́; recipienti, & ex ſe ipſo etiam progignenti recta methodo eſt prouidendum. Toto corpore, & uentriculo pariter prouidebitur, ſi nutricis tú ratione ſui, quemmadmodum & circa infantem uictus ratio ad paulo ſicciorem tendat, ipſaq́; nutrix ſe parcius alat, & infantis nimiam uitet ſatietatem, curabit quoque, vt infans ſolidiori cibo paulatim aſſueſcat. Cibus ipſe panis ſit in ſimplici aqua cum modico ſale, vel in iure feruefactus, ſitq́; à iuſculo commode expreſſus, & bis in die exhibeatur, antequam lactetur, vt in h ora prandij, aut cenæ, ut ſe aſſueſcat. Nutrix ſimiliter à nimio iuſculorum, atque uini potationis vſu inquantū poterit ſe abſtineat, donec infantis ſuperabundans humiditas, tùm in toto corpore, tùm etiam in cerebro corrigatur. Vinum namque hauſtum humectat nimium, & caput halitu replet Gal. inquit 1. de ſanit. tu. cap. 11. Et ſi infanti ipſi uenter non eat ſua ſponte, & ex conſuetudine, uel balano, uel leui enemate ciatur, prout in alio trac. de ſanitatis conſeruatione ſuo loco traditur. Interim cum in cerebro temperamenti ad humidius lapſum corrigere non ualemus, ni prius quam genita eſt iam, & in eo redundat humiditas tollatur, hæc autem tolli non poſſit in hac tenella ætate, niſi per deriuationem, idcirco pro deriuando ab ipſo cerebro infantis caput in primis inſpiciatur, ſi in eo puſtulæ, uel cruſta lactea, ut ſingulis contingit effloreſcat, & ſi in eis ſanioſa

niosa humiditas subsistat singula die cum dexteritate euacuentur, & si siccescant, aliquibus lactis guttulis superaspersis ab ipsa nutrice, & manu parumper eas fricando sic reuirescent, & latius excitabuntur & per eas à cerebro continua fiet deriuatio. Et si non absint pustulæ in capite, in occipitio vesçicatorium sic applicabitur, & pustulæ excitabuntur.

Rec. pulueris cantaridum dr. s.

Fermenti mollioris dr. iiij.

Aceti acerrime q. s. misce fiat pasta, & emplastretur in alupta ad magnitudinem monetæ, quæ Iulius dicitur, & occipitio ad primam vertebram applicetur, ibiq; maneat donec vessicetur locus, & illico auferatur, & prius oleo tepenti, vel vino foueatur emplastrum, ne infans in eo auferendo dolorem sentiat, & facilius auellatur. Curet quoque nutrix, vt narium foramina sæpe comprimantur, & detergantur, & si exsiccatæ sint in eo sordes liniantur oleo amigdalarũ dulcium & curetur vt ipsa foramina, & meatus aperti, & emolliti teneantur, vt ad ipsa excrementum deriuetur. Vt vero quæ iam ad nares fluxa est humiditas euacuetur, atque exsiccetur, & aurium intemperies per eiusmodi affluxum acquisita cõtemperetur, in primis præsidium ab Auicenna lib. primo fen. 3. doc. prima cap. 3. vsurpari poterit, quod in casu proprio sic vtitur.

Rec. vini rubri stiptici unc. j.

Mellis rosacei dr. ij.

Aluminis gra. iij. cum coto, uel gosipio inungã-

tur aures, & de hac mistura etiam intus instilletur. uel ex ipso Auic.

Rec. uini pontici unc. j. s.

Croci gra. ij. misce instilletur in aure.

Aetius vero sermone 4. cap. 12. simili hoc præsidio utitur inquiens. Alumen uino dilue, & lanam puram, ac mollem in ipso imbue, & in sole assicca; & rursus sic imbuatur, atque assicetur per tres uices: vsu uero expetente de ipsa accipe, & in aurem inde. Oribasius simili præsidio utitur in suo lib. 5. synopseos sic inquiens; Aurium humores exsiccat lana ex alumine imposita, aut uinum mulsum, aut uinum uetus instillatum, aut crocum, ex uino tritum. Poterit hoc alio uti præsidio.

Rec. rosarum rubearum dr. ij.

Baccarum lauri dr. j. s.

Ferueant simul in uino rubro, de quo stilletur in aure; uel sic.

Rec. croci integri gra. j.

Inuoluatur in coto, & filo ligetur, & pone in aure infantis, & singula die permutetur; uel sic.

Rec. cotum in quo steterit muscus q. u. & de ipso parum teneatur in aure, & permutetur ut supra. & si fortasse cum humiditate ipsa aliquis concomitaretur dolor, tunc.

Rec. olei amigd. amararum.

Olei amigd. dulcium an. unc. s.

Axungiæ anatis, uel galinaceæ dr. iij. Misce instillentur in aure duæ, uel tres guttæ pro uice, uel sic.

Rec.

Rec. olei amigd. amararum unc. j.
Olei camomilli lumbricati unc. s.
Croci gran. iij.

Misce instilletur in aure: & quoniam in hoc loco de apostemate aurium, & de alio ipsarum affectu pertractare non intendimus, quam de proposita aurium humiditate ab Hip. inter pueriles morbos apposita, idcirco de eius curatione præscripta hæc sufficiant.

De gingiuarum prurigine in dentitione infantium curanda.

CAPVT NONVM.



PRVRIGO, & gingiuarum dolor qui pueris contingit in dentitione, ineuitabilis est eorum passio. cum namque à natura institutũ, sit vt ad vitæ vsum dentes necessario oriantur, in ipsorumq; ortu necesse sit, vt dentes ipsi exitum parando gingiuas perforent, vt Gal. inquit 3. apho. com. 25. vbi subdit, quòd hi casus eueniunt, quemmadmodũ vbi stimulus infigitur carni, & sane plus inquit dentes affliguntur, quam stimuli. Hi siquidem semel firmati in membro quiescunt, cui ab initio infixi sunt. Dentes uero tantum procedunt, quantum augentur, & idcirco cum ineuitabilis sit eiusmodi in dentitione dolor, aliá nõ exposcit curam, quàm sui lenitionẽ, vt mulciatur igit' dolor & prurigo obtũdatur, fiat sic.

Rec. butiri recentis q. u. cum eo gingiuæ linian-tur, uel ſic.

Rec. axungiæ galinaceæ eliſſatæ q. u. gingiuæ li-niantur, uel ſic.

Rec. cerebelli leporis eliſſati q. u. & in ore teneat fruſtulum rad. Ireos m. valde ſiccatæ, & melle intin-ctæ, & oleo amigd. dul. cum aqua abluto illud linia-tur, & in ore inſtilletur.

Rec. cerebelli leporis eliſſati uel aſſi q. u. cum eo liniantur gingiuæ, nam eiuſmodi præſidium apud re centiores non tantum laudatur, ſed ab antiquioribus ferè omnibus celebratur. Si uero prurigo potius in-feſtaret puerum, quam dolor, videlicet pruritus ille cum moleſtia vt exponit Gal. cit. 3. apho. tunc.

Rec. olei non cocti, & puriſſimi unc. j.

Ceræ parum, miſce fiat linimentum, cum quo gingiuæ illinantur, hoc ſiquidem præſidio vtendum eſſe Aetius, Paulus, Oribaſius, & Auic. inter cæteros conſultarunt, quemmadmodum etiam, & hoc alio.

Rec. mellis modice cocti, cum ipſo gingiuæ il-linantur. Aetius ille Capadocius optimus Gal. ſecta-tor hoc præſidium laudauit ad exitum dentium faci-litandum, videlicet.

Rec. radicem colocinthidis ſilueſtris canali argen teo circundetur, & collo pueri circundetur, ac ſuſpen datur. Aliud nec non laudauit præſidium videlicet.

Rec. dentem viperæ maſculæ, argenteo circulo circundetur, & collo ſuſpendatur; laudauit quoque Aetius, vt pueri collo ſuſpendatur Iaſpis viridis colo-

ris,

ris, vt ſtomacum contigat. hæc de præſidijs ad ipſam dētitionem facilitandam. Nutrix vero dum prurigo ipſa, & dolor, ceteraq; dentitionis accidentia inualuerint, à vino abſtineat, & vel aqua cum cinamomo vtatur, vel ſtillatitio pulli cum eadem aqua limphatum, in cibo autem vtatur in prandio carne, & iure parui pulli, & in ſero abſtineat à carne, & utatur ferculo cum dicto iuſculo, & tremulis recentibus ouis.

De febre infantium curanda à dentitione contingente.

CAPVT X.



EBRES quæ pueros exercere ſolent cum dentes eorum gingiuas perforare incipiunt, ex ephemerarum genere eſſe patet, cum ob dolorem præcipue, & vigilias ipſis accidant, ab ipſiſque tanquam à manifeſta, recentiq; procatartica cauſa ortū habuerint, id ſiquidem vnum, atque præcipuum ephemerarum indicium eſſe Gal. oſtendit lib. 1. de diff. feb. cap. 7. Quo pacto autem ex dolore febres ipſæ accidant, Auicen. in 1. 4. tract. 1. cap. 27. oſtēdit inquiens: dolor quandoq; calefacit ſpiritū adeo, donec inflammetur, & quæ ſequūtur. De prædictione autem dicitur, quòd eiuſmodi febres leui negotio curantur, modò ſedetur dolor à quò vigiliarum inſtantia,

ſtantia, & ipſæ febres ſui duxere ortum, & quamprimum eſt cauſis occurrendum antequam ephemera in putridam degeneret, quod facile in ijs contingit, qui præcipue calido,& humido pollent temperamēto vt Gal. monuit in ſuo 6. de ſanit. tu. cap. 3. In curatione ſedandus eſt gingiuarum dolor, & ſomnus conciliandus, & regenda eſt nutrix debito regimine victus, tùm circa ſe ipſam, quemmadmodum & circa infantem,vt docet Auic. lib.1. fen.3. doc.1. cap.3. De 1. ſcopo videlicet de ſedando dolore actum eſt in præcedente capite, ad quod recurratur: ſomnus vero cōciliabitur, ſi ſedabitur dolor, attamen ſi opus fuerit cortex,vel ſemina papaueris albi ī modica quātitate ſumpta cum pane in aqua, vel iure afferueant, & demum abiecta pauperis cortice, infanti ferculum exibeatur ſuis conſuetis horis. uel ſi opus fuerit accipiatur unguenti populeonis q. u. & vngantur tempora, vel cum oleo de nenuphare vngātur tempora, & nares infantis. Nutrix autem ſe gerat,vt præcedenti cap. traditur. In potu vero abſtineat à uino,& loco eius vtatur uino granatorum, vel ſucco cum aqua decocta, vel ſtillatitio pulli, uel cinamomi decocto. Si febris perſeueraret, & in putridam degenerauerit, debet nutrix ante cenam per quatuor horas ad minus ſumere ptiſanam ordeaceam cum ſeminibus comunibus, & ſaccaro, cui addatur ſtillaticij cinamomi guttulas tres, uel quatuor. In mane autem ſumat ſequentem ſyruppum.

Rec. ſy. acetoſi s.

Sy. de cicoreo s. an. dr. vj.

Aquarum cicorei, capillorum veneris, graminis an. unc. j.

Miſce capiat in aurora. Interim dum nutrix ſyruppos ſumpſerit, curet vt infans ſingula die, noctuque (prout eius conſuetudo extabit) alui beneficium habeat, & ſi aluus ſua ſponte non egerat, uel glande cũ melle, & ſale, uel leui enemate vtatur, vt ſuo loco diximus, poſt ſeptem, vel nouem ſyruppos, ſi dolor, & febris perſeueret, accipiat ſequens medicamentũ, & non lactet infantem quo vſque medicamentum ſuam non perfecerit operationem, ſed alia interim lactet infantem, ſi alio ferculo ſuſtineri non valeat. Medicamentum tale ſit, vt.

Rec. mane calabre } an. unc. ij.
Mellis roſacei }

Rhabarberi electi dr. j. s.

Cinamomi ſcr. s.

Infundatur rabarbarum in iure pulli, in quo efferbuerint paſſulæ corinthiades, & pruna damaſcena cum pauco cinamomi per noctem, & facta ſufficienti expreſſione cum dicta expreſſione, & eodem iure non ſalito fiat potio, quam tepide ſumat in aurora. ſuperdormiat, & tardet cibum per quatuor uel quinque horas. & altera die fiat enema comune, uel ſic.

Rec. caſſiæ recenter extractæ unc. j.

Diafincionis dr. j. s.

Spet. hieræ ſimp. ſcr. s.

Cum Zaccaro formetur bolus, quem capiat in

mane

mane per dimidium horæ ante prandium, & infantem non lactet, donec aluus exoneretur.

De conuulsione infantium curanda.

CAPVT XI.



INTER passiones quibus infantes, & pueri infestari solent, & dum præcipue caninos dentes edunt ab Hip. reccensentur conuulsiones, vt in 3. aphorismorum aphorismo 25. constat. Et quoniam multiplices, variæq; sunt conuulsionis differentiæ, interstinguendum in primis est de qua conuulsionis specie intelligi debeat. Conuulsio namque alia est vniuersalis, quædam alia particularis in quolibet particulari membro, uel in pluribus, non autem in toto corpore contingenti. Et rursus eius quæ vniuersalis est conuulsio, quædam perpetua dicitur, & eius lęsio nihilominus ad rectricis animæ partes non pertingit. Altera vero, quæ non perpetua, & eius læsio rectrices partes occupat, & hæc epilepsia dicitur. Eius insuper quæ vniuersalis, & perpetua dicitur sub triplici differentia reperitur, vna siquidem emprosthothonos, alia episthothonos, altera tetanos: singulorum hæc diuisio à Gal. traditur in suo de simpt. diff. cap. 3. alia quoque differentia distinguuntur, quòd in ea conuulsione, quæ epilepsia dicitur faciei partes conuelluntur, in alia vero, quæ emprosthothonos,

epistho-

epiſtothonos, & tetanos dicitur, faciei partes illeſæ ſeruantur. Cauſam reddit Gal. in 3. de locis affectis cap. 6. quòd in priori cerebrum affectum eſſe, in hac ſecunda ſpecie vero dorſalis medullæ initium affici eſt fatendum. De qua modo cõuulſionis ſpecie pueros infeſtari intelligat Hip. profecto interſtinguendum uenit. Dubio procul ſanè videtur, quòd de ea conuulſionis ſpetie Hip. loquutus fuerit, quæ crebrius pueros exercere, ac plurimos enecare ſolet, ob quam cauſam ab ipſo Hip. in ſuo de aere, aquis, & locis cap. 2. puerilis morbus denominatur, & ab Auic. in 1. 3. tract. 5. cap. 8. Mater puerorum dicitur. Credendnm etenim minime fuerit, quòd Hipocrates ſingulos morbos recenſendo, quibus pueri infeſtari ſolent, eo in loco morbum prætermiſerit, quo ipſi crebrius occupantur, & à quo plurimi interficiuntur, & qui tandem morbus ab ipſis pueris, tanquam eis familiariſſimus ut dicam denominationem accepit. Hoc idem verba Hippocratis atteſtantur lib. de aere, aquis, & locis, vbi inquit. Pueri vero incidunt conuulſiones, quæ morbus puerorum, & ſacer eſſe putant. De hac tantum igitur ſpetie, quæ epileptica dicitur pertractantes, quid ea ſit in primis explicemus. Comitialis morbus eſt conuulſio omnium corporis partium non continua, ſed per interualla quædam temporis facta, cum ſenſuum, & principalium operationum rationis ſcilicet, & memoriæ obleſione ex craſſo magna ex parte humore cerebri ventres obſtruente, & ſpirituum trãſitum prohibente,

prin-

principio neruorum se ipsum quatiente, ad expellenda, quæ ipsum occupant. Pars quæ præcipue afficitur cerebrum esse Gal. vbi de eiusmodi affectu scripsit passim asseuerauit, & id pariter eius sectatores omnes, & Auicennas pariter attestarunt, licet ex cerebri læsis actionibus id notius se manifestat, quam vt ab eis ostendatur. Sed si tanquam similaris, vel instrumentalis cerebrum ipsum afficiatur Gal. verba ostendunt in suo 2. de simp. causis cap. 7. vbi inquit. Sicut apoplexiæ, & epilepsiæ ex pituitosi succi multitudine in ipsius cerebri ventriculis collecta gigni videntur, & in suo 3. de locis aff. cap. 7. inquit. Ita hic quoque comitialem morbum solet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur: & idem 6. de morbis vulg. com. 6. in calce commentarij. Si quis autem curiose magis qui sit vētriculus, qui præcipue obstruitur scire exoptauerit Gal. legat 3. de loc. aff. cap. 7. vbi inquit spiritum esse, qui in ipsius ventriculis, maximeq; in postremo continetur, quamuis non contemnendus sit medius multis rationibus inducimur, vt hunc complectamur, duos vero anteriores deseramus: & inferius inquit, Ita hic quoque comitialem morbum solet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur, siue is medius sit, siue postremus. Nihilominus idemmet Gal. in 4. de loc. aff. cap. 2. inquit. Et in caro quidem anterior pars magis, in apoplexia, & morbo comitiali vtraque afficitur. Quis præter naturam affectus epilepsia sit, aptissime ostendit Gal. in suo de diff. simpt. cap.

3. vbi

3. vbi inquit. Si verò non ſolum totum corpus conuellitur, ſed principum quoque functionum prohibitio fiat, ſimptoma tale epilepſia nuncupatur. Simptoma igitur epilepſia eſt in genere noxæ functionum animalium ſingularum, nō autem naturalium, ſenſibiles quidem, atque rectrices ablatæ, motrices uero deprauatæ leduntur. Fortaſſe apud Tirones ambigi poſſet, num motus ille neruorum, & muſculorum ad motum ſui principij conſequens in proximo epileptico, ſit inter ſimptomata locandus, & præter naturam, vel ſecundum naturam potius cenſendus. Membrorum ſiquidem totius corporis muſculi neruorum quibus inſeruntur motum ſequuntur. Nerui vero ad motum cerebri, & eorum principij mouentur. Cerebrum vero principium vnde motus à nullo, neque, ab aliquo mouetur, ſed à ſe ipſo, intendit namque natura tūc per ipſum motum ſuum aſſequi finem, qui eſt materiam ipſam grauantem, vel occupantem, ſiue ſtimulantem à ſe ipſo excutere, & tandē ſe mouendo opus aggreditur, vt à ſe noxium depellat. Quod autem talis ſit motus, & ratione hac vt vt dictum eſt ab ipſa natura fiat Gal. verba oſtendunt ſuper 3. de locis aff. cap. 7. vbi inquit. Hunc maxime affectum declarat neruorum principio ſe ipſum quatiente, quò excutiat id, quod noxium eſt: hoc idem Auic. prima tertij trac. 5. ca. 8. ſi igitur motus eiuſmodi voluntarie fit à cerebro, ſequitur quòd ſecundum naturam ſit dicendus, & minime ſimptoma; conſequens habetur ex Gal. verbis in capite præcedente

citati

citati loci, vbi hæc inquit: conſtat conuulſionem in conuulſis partibus factam, hac ſola ratione à motu ſecundum naturam differre, quòd præter volũtatem noſtram fit: quibus verbis Gal. aptiſſime oſtendere videtur, quòd conuulſiui motus, qui in partibus fiũt, & à ſpinali medulla originem habent in hoc tantum differunt à motu ſecundum naturam, quia ipſi præter voluntatem fiunt. At cum in hoc alio genere motus non ſint præter voluntatem, vt ex Gal. verbis percepimus, & vt Auic. cit. nuper loco ſequitur, quòd ab his quę ſecundum naturam ſunt minime differãt. Ad ambiguitatis ſolutionem facilis reſponſio videbitur: Dicendum idcirco eſt, quod licet opus, vel motus quilibet à natura fiat, nihilominus cùm à cauſis, quæ ſic mouere naturam cogant, motus iſti contingant, inter ſimptomata quæ præter naturã ſunt merito adnumerantur: vt autor eſt Gal. lib. 2. de ſimpt. c. 3. Additur quoque quod per deſtinata naturę ipſi ex cernicula motus ipſe noxia non depellit, quæ vt autor eſt Gal. primo de ſanitate tuenda cap. 13. ſunt plurima, & primum per nares, & palatum, ſecundo per vtranque aurem, tertium per caluæ comiſſuras. Et ad faciliorem, exactamq; magis tironum intelligẽtiam de motibus ipſis, qui naturæ, & qui morbo, & qui vtrique adſcribuntur, diſtincte loquar. Sciẽdum itaque eſt, quòd tripliciter expulſionem fieri contingit, quædam ſcilicet à natura tantum, & hæc duplici modo, vt cum expultrix à loco à quo expellit, & attrahens alia uirtus quod expellitur attrahit, & hic facilis

lis eſt, & optimus motus à binis molitus facultatibus vt contingit, vbi chilus à ventriculo expellitur, & à proximis partibus idem attrahitur, vel fit à ſola expultrice per decliuia, & in ampla loca, qui etiam naturalis dicitur motus, vt quando fæces ad inteſtina, vel vrina ad veſſicam expelluntur: Secũdo modo expulſio alia fit à materia tantum, cum à natura vllo pacto regulari non valeat, & grauium motu materia ipſa ad decliuia loca, & centrum verſus præcipitat, vel ſi materia tùm à contẽptrice, tùm etiam ab expultrice labefactatis vnà cum cæteris virtutibus deſeritur, per proximiora loca ſcaturit, vt in ſudore diaphoretico contingit, & horum vterque motus eſt malus, vel peſſimus dicendus. Tertio modo expulſio fit ab vtroque, ſcilicet à materia, & ab ipſa natura, vbi videlicet materia vel ſui mole, vel praua qualitate membrum grauat, vel eius naturam ſtimulat, & ad expellẽdum irritat, vel ea quæ expelli adhuc non deberent, vel quæ rite, recteq; ad propria excernicula nõ excernuntur, & idcirco motus eiuſmodi, cum ex accidenti à natura molitus fuerit, & ipſa coacta, iure merito inter ſimptomata à Gal. & alijs recenſentur: In pueris inſtantem acceſſionem hæc ſigna præcedunt, primo infantis creber ploratus, cum quo liueſcunt labia, motus tremulus inferioris labij, creber corporis tractus, ac capitis in dorſum, tremor in manibus, vel pedibus per quædam interualla contingens, mutatio coloris per varias partes in fuſcum, inordinatus linguæ motus. Signa vero præſentem affectum oſten-

dentia est motus conuulsiuus in toto corpore,& pręcipue musculorum faciei, spuma in ore cum non leui stertore, os, & oculi vnà cum facie distorquuntur. Inspiratio, & respiratio pręceditur,& totum corpus, & pręcipue labia liuescunt, concutiuntur dentes, & linguam sæpius mordent,& quemmadmodum vetustissimus Areteus tandem dici potest pueros quoque pulchritudinis inuidia perdit, & paulo infra inquit. triste medius fidius est ipsius inuasionis spectaculũ. Verum cum triplex sit affectus, vnus videlicet per essentiam in capite, alter verò per cõsensum ventriculi, vt ostendit Gal. de grammatico illo lib. 5. de loc. aff.cap.6. Alter verò, seu tertia species est,cum ab aliqua parte inceperit affectus, qui sensim ægro sentiẽte ad cerebrum ascendit,vt Gal. refert de duobus adolescentibus lib.3.de loc.aff.cap. 7. & cum à tertia hac epilepsiæ specie ferè nunquam infantes infestari videantur, idcirco hac omissa ad eius,quæ à ventriculo oritur indicia iam accedamus. Tunc timendum est de eminenti epilepsia,quando vermes excitantur,& pueros infestant; & quoniam sunt loquelæ, vt plurimum expertes, & ipsorum passiones exprimere nequeunt, hæc signa dum vermes infestant concomitari solent, videlicet narium manibus crebra confricatio, leuis tussicula, inanis ad vomitũ excitatio,à somno, clamore, & fletu illico expergiscuntur, labij inferioris agitatio,ventris dolor cum rugitu, & per interualla breuia tremore excutiuntur, & hæc de signis alterius epilepsiæ à vermibus excitatæ; mox eius quæ

per

per essentiam oritur in cerebro causas explicabimus. Cum epilepticum simptoma ad morbum in cauitate, aut in via consequi iam constet, quæ modo sit ea quæ obstruit causa peruestigandum venit. Quæ ea sit vt Gal. patefacit lib. 3. de locis aff. cap. 7. inquiens, crassum, lentumq; esse humorem. At cum tùm pituitosus humor, tùm etiam melancolicus crassæ sit substantiæ, expedit (quemmadmodum Gal. inquit cit. loco) interstinguere, quis dictorum sit, qui obstructionem ipsam efficit, cum ipsorum vnusquisq; ipsas cauitates, & ductus obstruere soleat; vt Gal. uoluit cit. loco: sed cum de epilepsia pueris contingente tantum pertractet, in quibus humiditas, non siccitas dominatur, idcirco pituitam humorem esse qui obstruit in eo per essentiam affectu, iure meritò est asserendum. Antecedentes plures sunt causæ, quas Gal. recenset in 3. apho. com. 25. vbi accidentia enarrans ex decreto Hip. quæ pueris dum caninos edunt dentes contingere solent, inquit cõuulsiones autem eis accidunt, tùm propter hęc videlicet dolores, inflãmationes, febres, & vigilias, tùm propter crudum alimentum, & quia neruosæ partes nondum satis validæ sunt. Potest quoque accedere causa alia ex externis, videlicet aeris ambientis frigiditas. In alia vero quæ à vermibus contingit, licet non adsit materia crassa obstruens, nihilominus obstruuntur per adstrictionem uentriculorum, dum noxam cerebrum sentiens, in se ipsum contrahitur, ut expellat quod contristat, & tunc coarctantur uentriculi, & uiæ conni-

uent, & animalis spiritus præpeditur, quominus ad artus deferri valeat. Noxa autem cerebro contingit ex praua venenosa qualitate in ipsum cerebrum exhalante, ac ipsum feriente. Praua hæc autem qualitas ab vtroque ventre eleuari contingit, & à vermium putredine eis in locis excitata: Occupat hoc morbi genus inquit Paulus Aegineta, maxime pueros, eosque adhuc paruulos, deinde verò adolescentes, & iuuenes, minime senes, & decrepitos; & inter pueros qui sunt crassiores, & qui aluos duras habēt Hip. 3. apho. & qui caput mundum ab vlcusculis habent, libro de sacro morbo magis periclitantur; hacq; ratione Hip. in suo de aere, aquis, & locis appellauit affectum hunc morbum puerorum, & ab Auic. in 1. 3. trat. 5. cap. 8. Mater puerorum dicitur. quemmadmodum & Serapio in proprio cap. De euentu autem Gal. 3. de locis aff. cit. supra loco inquit; Periculi magnitudinem ex anhelitus nocumēto conijcere oportet. Auic. autem inquit cit. loco. Et illa, quæ apud quosdam proprio nomine dicitur mater puerorum interficit multum. Et quando continuatur paroxismi epilepsiæ interficit. Paulus Aegineta cit. loco inquit. In quibus igitur acutissimus est affectus, statim iugulat, & accessionum continuatione, & simptomatis uehementia. Vetustissimus Areteus cit. loco inquit comitialis morbus terribilis vtiq; in accessionibus, & peracutus, & perniciosus; quandoquidem accessio vna hominem rapuit. Hip. 11. in 6. epidemiarum com. 1. tex. 5. sic inquit. Infantium effulgescentiæ

cum pubertate nonnunquam mutationes habent. In quibus Hip. uerbis non pauci decipiuntur in infantium perniciem diuinum senem nō recte intelligentes. Credunt namque epilepticos omnes infantes ætatis sola commutatione persanari, & medici auxilio non egere; Gal. ita exponens inquit, Comitialis affectus autem à naturali intemperie prouenit, cum valde humidum cerebrum est, tuncque morbus iste puerulus appellatur. Vel accidit idem affectus pueris ob errata medici curationem postulans: quando uerò ob humiditatem oritur, plane infantes statim inuadit, desinitq; ætatis conuersione nullum nobis negotium facescens. Hæc Gal. expositio varium sibi ipsi Hip. efficit: quandoquidem in suo de sacro morbo secus sentire videtur, vbi sic inquit. Qui pueri parui sunt, & hoc morbo capiuntur, vt plurimum moriuntur. Idem Aristo. lib. 8. de hist. animalium cap. 12. Cum igitur infantes qui statim inuaduntur, paruuli præcipue sint, sequitur, quòd vt plurimum moriantur, neque ætatis decursu persanari valeant. Auicennas etiam hoc idem asseuerasse videtur, vt in prognostico diximus. Quod verò maius paruulis, & nuper natis periculum impendeat, duabus de causis Auic. asserit, vna videlicet ex paucitate sanguinis, & ex venarum constrictione altera, hoc idem Hip. lib. de sacro morbo. Celius Aurelianus hanc sententiam sequutus inquit in suo 1. Tard. pass. Nam vehementius afficit proximos natiuitati infantes, siquidem viribus inualidi passionum impetum tollerare nō pos-

ſunt. Ad ambiguitatem igitur ſic dicerem, quòd recte diſtinguit, & recte ſentit Gal. ad mentem Hip. cũ dicat puerulos illos ætatis commutatione perſanari, qui ob intemperiem eorum natiuam ad humidum labentem hoc morbo capiuntur, minime vero intelligendum ſit de illis, qui ob errata epilepſiam patiuntur. Sed non propter hoc intelligit. Hip. quod epileptici illi omnes ætatis commutatione perſanentur, ſed inquit, nonnunquam, quæ dictio ſonat aliquádo, ergo non ſemper, ſed aliquando ipſorum alios nõ perſanari contingit, & illos perſanari ætatis commutatione tantum contingit, qui ab hoc ſæuo morbo forte fortuna, & Deo optimo maximo annuente euaſere, & ſuperſtites in pubertatem vſque fuere, quemmadmodum etiam clariſſimus ille Græcorum vetuſtiſſimus Areteus ſentijt, vbi perpulcre, & eleganter inquit. Interdum ſecunda fortuna euenit, vt per ſuccedentem prouectiorem ætatem abigatur, & hoc non abſque ratione dictum fuit, ſi ea in memoriam reuocentur, quæ de prognoſtico dicta fuere, & ea præcipue, quæ ex Hip. decreto ſuper lib. de ſacro morbo allegata fuere. Nam deo opt. max. annuente nonnunquam vt dicit Hip. puer cum tali mòrbo uſque in pubertatem ſuperſtes ſeruatur, & inde abigitur morbus, nonnunquam uero contingit, vt in infantia enecentur ab ipſo morbo, & ad aliam ætatem non pertingant, ut in dies uidemus. His igitur ita diſcenſſis ponamus, ut medicus ad infantem ſit accerſitus, qui ſuæ ætatis iam ſeptimum agat menſem uel

etiam natu minor uel maior humidaq́; temperie cō-
ſtet, eiuſque cerebrum ualde humidum exiſtat, & ab
epileptico ſimptomate correptus, ipſumq́; uideat
medicus in lectulo proſtratum, manuſque eius, &
crura cum cæteris corpuſculi partibus conuelli, ca-
putque, & faciem, præcipueq́; os, & oculos hinc in-
de diſtorqueri, ſpuma ex ore manante, labijs liue-
ſcentibus, & cum ſtertore quodam pene ſuffocari.
Ita ſeuiter laceſſito puero quæritur ſi Medicus de-
beat acceſſionis tunc præſentis curationem aggredi,
uel ipſi naturæ totum permittere, & nullum faceſſe-
re negotium: ſecundo queritur, dato quòd puer ipſæ
naturæ beneficio, uel artis præſidio à ſimptomate il-
lo liber tunc euaſerit, an deinceps Medicus ipſe de-
beat ad præſeruationem eiuſdem pueri ab eodem
ſimptomate ſe accingere. Ad primum nonnulli Hip.
autoritate innituntur lib. 6. epidemiarum comm.
1. tex. 5. dicentis. Infantium effulgeſcentiæ cum pu-
bertate nonnunquam mutationes habent; hæc Hip.
Deinceps Gal. verba in com. inſpicientes, vt retro eſt
dictum temere putant infantes omnes epileptico
morbo correptos, naturæ, & ætatis decurſui com-
mittendos, & nullum à medico negotium faceſcen-
dum eſſe. Quibus ſic reſpondi debet, & 1. quod nō
recte ab eis Hip. verba intelliguntur, vt ſupra oſten-
dimus. Additur inſuper quod Hip. propoſitio, eiusq́;
aſſertatio cum minime uniuerſalis ſit, neque uniuer-
ſaliter prolata, uidelicet quòd in omnibus infanti-
bus effulgeſcētiæ in pubertate mutationes habeant,

ſed cum dictione hac nonnunquam, quæ nil aliud ſonat, quam ſi diceret interdum, & in quibuſdam cō tingere, ita ſentit Auic. in prima tertij tex. 5. cap. 8. Non poſſunt per analogiam, neque aliter eorum opinionem comprobare, & eo magis, cum nutricum errata circa infantem lateant ſemper, neque ab ipſis vnquam fateantur. Non poteſt idcirco Medicus recte, tutoq; ea diſtinctione particulatim vti, quam Gal. in com. ex Hip. verbis elicit, ita vt qui ob natiuam cerebri humiditatem, vel ob errata ipſo ſimptomate correptus fuerit internoſcere valeat. Vbi puer igitur proſtratus à ſæuo ſimptomate ſic diſcruciabitur, & medico anceps ſic morbi euentus, ob id quia licet ſola ętatis commutatione nonnunquam puerum perſanari contingat, vt Hipp. cit. lib. 6. epidemiarū, vt plurimum tamen moriuntur, vt lib. de ſacro morbo, vt ſic Hippocratem cum Hippocrate declaremus, potius & magis idcirco verendum erit, quàm cum ratione ſperandum, & adhuc magis cum idem Hip. cit. lib. de ſacro morbo de ipſis epilepſia correptis pueris prædicens dixerit. Si aliqua ſpes eſt vt viuant, eſt ſi humiditas ſit modica; Galenus verò non modicam eſſe atteſtatur in com. allegato 6. epidemiarum, ſed humiditatem valde abūdare atteſtatur, vt eo in loco legitur. Si ſic igitur, non profecto erit totum negocium naturæ permittendum, in quo vitæ diſcrimen ſic impendet; ſed miſello infanti quam primum à medico erit præſidium ferendum, ne illud contingat quod Gal. monet in ſuo lib. 10. methodi med. cap. 10. inquiens.

Qui vero mortiferam insistere viam sentit, is desperatam ægrotanti salutem fecerit, & paucis interpositis inquit; tanto profecto satius est pugnantibus præsidijs certare, quàm nihil agere. Morbus præterea non modo acutus est, sed magnus quoque dicitur ab Hippocrate, & Galeno aph. 5. com. 30. ac etiā Hipp. lib. 6. de morb. vulg. com. 6. tex. 7. Quod vero acuti, & qui magni sunt morbi curandi sint, hoc est notius, quàm vt à me ostendatur. Medicina siquidem est (vt Hip. in suo de arte peruulgauit) morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere. Verum dato quòd ipse infans forte fortuna ex illis esset, qui ad Hip. & Gal. mentem nonnūquam, vel interdum absque medica arte, & sola ætatis commutatione persanari valet, quod sane dubiū, & incertum erit, in quo errabit medicus si tanquam administer, & naturæ imitator, ea quæ naturam ipsā cogunt functiones, & principes ledunt facultates grauant, & ad deprauatos motus irritant, spiritus intercipiunt, vias obstruunt, & membra ipsa, & principalia præcipue fatigant, & lassant, animalemq; cum vitali virtutem penè extinguunt, tollantur, & à conflictato loco arceantur, atque auertantur; dicant quæso? At fateri liceat eis qui secus sentiūt, quod hoc saltem lucrifaciet Medicus quod vt decet naturam ipsam adiuuabit, & ab immaturo obitu infantem ipsum tutū restituet, si fortasse ex illis esset, qui vt plurimum moriuntur, vt Hipp. attestatus fuit supra cit. loco. Vidimus huc vsque quo pacto ratio, & maiorum authoritates,

ritates, quid agendum ſit oſtendant, mox ad experimentum accedamus. In Florentiſſima hac vrbe præſertim Hipp. monitum experti in ſuo de ſacro morbo aſſerentis; Infantes paruulos, qui hoc morbo capiuntur vt plurimum ab eo necari, & cum, plurimi hoc ſæuo ſimptomate perempti in dies cernátur, increbuit conſuetudo, vt ſingulis ferè ad pręſeruationē huius verendi ſimptomatis, occipitium inuratur, & ita plurimi hoc præſidio pręſeruantur, & è contra iugulentur, quibus ipſa inuſtio non adminiſtratur. Concludendum recte eſt igitur, quod tutius ſit cunctis pueris ſęuiſſimo ſimptomate correptis manu medica ſuccurrendum, quam medicorum pręſidio deſtitutos impie derelinquere. Quid modo à Medico agendum ſit oſtendamus. Sæuo ſimptomati, acutoq́;, ac magno morbo infantis corpuſculum diſcrucianti præſidijs eſt occurrendum, anteaquam ab ipſo iuguletur, ſed quibus præſidijs? Fortaſſe cum ſuffumigijs naribus admotis, cum inunctionibus, & eiuſmodi anilibus, vt perperam nonnulli faciunt? minime profecto in ijs confidet qui Hip. monitis non fuerit oblitus, cum primo aph. 6. peruulgauerit extremis morbis extrema exquiſitè remedia adhibenda eſſe. Illa igitur ſtatim ab arte vſurpanda erunt, quæ ea opera præſtare valent, quæ peragenda ex ſuis indicationibus eliciuntur, vt ex ponendis ſcopis oſtendetur. Vt igitur ſimptomata ſedentur, curãdus eſt morbus quē ſectantur. Quiſquis igitur functiones motrices deprauatas, ac cæteras quæ ad ſenſum, & animales principes

cipes attinent iam ablatas, ad ſuam naturam, & abſque vitio reſtituere voluerit, vitalemq; reſpirandi facultatem liberare, & penè eſtinctum infantem in ſanitatem reuocare, profecto cerebri ventriculos, eiuſque ductus ab obſtructione liberos reddere, ei oportebit. Ab obſtructione vero liberabuntur cerebri ventres, & eorum ductus, ſi excrementum tollatur quod ſui copia obſtruit, vel etiam ſua qualitate ferit, & excretricem ſtimulat facultatem, totiusq; mali propria dicitur cauſa. Cum vero proxima hęc cauſa ab alia antecedẽte oriatur, & orta foueatur, vt eſt eiuſdẽ excrementi deſtillatio ſiue confluxus ab ipſo cerebri corpore. Confluxus autem à cerebro fiat, quia humiditas in eo redũdat, partim in ipſo genita, partim vero à toto in ipſum tranſmiſſa. Progignitur autem in ipſo ob frigidam, humidamq; eiuſdem temperaturam. Hæc cerebri intemperies cum ortu prior fuerit, ſit autem peruestigatione poſtrema, ab hac curationem exordiri per methodum liceret. Verum quia ratione vrgentis valde ſollicitos eſſe debemus ob imminens ſuffocationis periculum, idcirco ab ordinaria, legitimaq; curatione decedere licet, & ad illegitimam, ratione urgentis, propemodum accedere. Binæ igitur cauſæ ſunt, quibus quamprimum innitendũ fuerit, vt acceſſio ſedetur. Proxima videlicet, quæ iam fluxa eſt materia, & antecedens alia, quæ adhuc non fluxit: ſed in fluxu eſt vel fluxura. Ambæ ſui detractionem expoſcunt. Illa enim, quæ in uentres cerebri defluxit, & ductus obſtruit ad vicinia deriuari

poſtu-

postulat, ut Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. & lib. 13. meth. ca. 11. edocuit. Alia autem, quæ fluit à cerebro, cum repenter fluat, ad reuulsionem potius renitens fuerit, quam ipsi cedat, ex quo ad aliam partem ex vicinis facilius deriuabitur, quam sic fluens reuellatur, & retrocedat, vt magnus senex monuit in suo 6. de morb. vulg. com. 2. tex. 8. vbi inquit. Deriuare cedentem, trahere statim, renitenti cedere. Quæ vero fluxura est in insultu, & accessione ipsa tutius, & expedite magis ab ipso cerebro detrahi, & euacuari non potest, quam per deriuationem ad vicinia loca. Hac igitur ratione cum singulæ indicationes in deriuandi opus conspirent vnico tantũ instrumento, & ab vno tantum loco, & simul eodem tempore singula nobis opera præstabuntur, quæ singulæ affectus ipsius causæ exposcunt. Instrumentum est inustio per ferrum candens, locus vero inurendus est occipitium. Tempus verò quamprimum. Quamprimum igitur Medicus, vt lacessito puero opem ferat, & à strangulatione liberet perito chirurgico imperet, vt candenti ferro pueri occipitium inurat, hoc tamen seruato quòd blãde, & caute, omniq; cum dexteritate pueri caput, & reliquum corpus moueatur, neque nimium agitetur, sed tantummodo quousque inustioni commode appareat locus, quo inuento expedite, & omni cũ dexteritate inustio fiat. Quod autem hoc, tùm ad curandum, tùm etiam ad præseruãdum præ ceteris pręsidium sit saluberrimum, atque celebrandum; Magnus ille ac vetustissimus Areteus in cap. 1. asseuerat,

& in

&in dies ſanatio oſtendit quemmadmodum inquit Hip. & non modo in hac vrbe hoc verificari poteſt, ſed vbique locorum, & apud omnes, qui in ipſo optima ratione confiſi ipſum experti fuere. Inter plurimos hoc præcipue vidimus in Sereniſſimo M. Principe, qui dum hoc ſæuo morbo correptus adeo laceſſeretur, vt in ceſſantibus conuulſionibus oris ſpuma manante, cum ſtertore, liueſcẽtibus labijs, & ob ſimptomatis prolixitatem ſuffocari, & pene extingui Sereniſſimus puer videretur: Deo optimo maximo fauente, quamprimum inuſto occipitio ſedari ceperũt ſimptomata, & breui temporis momẽto à ſęuo morbo liber euaſit, & nõ abſque ratione feliciſſimus fuit euentus, vt expoſitis hucuſque liquido conſtat, nam iam fluxa materia vnà cum fluente, & fluxura, tùm à ſoluta continuitate partis, tùm ab ignei caloris vi cõfeſtim attrahentis ad vicinia illico facta fuerit deriuatio, & Dei ſummi opificis gratia acceſſio ſedata, & Sereniſſimus infans optime perſanatus. Infixo cauterio interim ſpernenda non erunt inter ea quæ collo ſuſpenduntur, peoniæ radix quæ maſculus dicitur, quę ſit recenter extracta, cuius miras laudes Gal. Oribaſius, & alij celebrarunt; & incidatur, & tanquam corona filo conſerta, infantis collo ſuſpendatur, & ventriculum vſque pertingat. Appenſio ſmaragdi ab Alberto magno celebratur. Aliud quoque præſidiũ à multis celebratur, tùm in curatione ſimptomatis, tùm etiam ad præſeruandum, & eſt lapis qui reperitur in ventriculo hirundinis qui diuerſi coloris eſt,

qui

qui argentea lamina circundetur, & colli applicetur: nonnulli primum lapidem ipſum corio vituli obuoluunt, & argenteo circulo circundatum collo patientis appendunt, de quo lapide ſic Serenus Samonicus cecinit.

Aut lapis ex nido vaga quem congeſſit hirundo
Vellitur & nexu fouet, attollitque iacentem.

Proderit quoque ab occipitio vſq; ab ambas ſpatulas oleo irino, atque vulpino ſimul collum inungere ipſis tepeſcentibus. Conſueuere aliqui vbi ſeuiter vrgent ſimptomata, oleo de craneo patientis tempora ſubtiliter illinire. Proderit quoque ad excitandum in acceſſione ipſa ſummopere rutam aceto illitam, & infantis naribus admouere, quod quidem magis mihi arridet, quàm ſuffumigia, quæ à nõnullis naribus patientis indunt, quandoquidem cum calida ſint effumantia ipſa, fit, vt duplici ratione obeſſe valeant, tùm quia vbi cerebrum petant materias eliquant, & fundunt, & ſic in ventriculis defluxum augent, & cerebrum ipſum, & ventres præſertim magis occupant, & contractiones augẽt, & excretricem magis fatigant: tùm etiam quia inſpirationem, ac reſpirationem impediunt magis, quod quanti ſit detrimẽti Gal. in ſuo 3. de loc. aff. cap. 7. patefecit inquiens, Periculi magnitudinem ex anhelitus nocumento conijcere oportet. His peractis præſidijs ſi acceſſio ſedata fuerit, & nihilominus ſomnolentus ſit puer, & papillam non ſummat, quod quidem tùm defatigatam virtutem animalem, tùm etiam ob vapores à recrementis

mentis in publicas corporis sentinas delapsis, & in eo conflictu nimium agitatis, & in cerebrum ipsum effumantes contingere, non absque ratione coniectādum sit, idcirco vt inhibeantur vapores, & excitetur puer, enema hoc infundatur.

Rec. Mellicrati vnc.iiij.
Butiri recentis unc.s.
Salis parum misce fiat enema. vel sic
Rec. iuris pulli saliti unc.vj.
Mellis despumati unc.s.
Butiri recentis dr.iij.

Misce de eo infundatur quātum sufficiet ad infantis ætatem. Poterit si flatuum adesset copia cum anicis parari decoctum cum ipso iure. Si puer à deiecto enemate excitetur, nutrix tunc papillam melle modicè cocto illiniat, & ori infantis offerat, leuiter si oportuerit mammillam exprimendo donec sponte sugat. Prosequatur interim nutrix in lactando puerum suis consuetis horis, sed per biduum saltim puerum parcius alat, & singulo mane ante alium cibum infanti exhibeat parū despumati mellis; videlicet coclearis dimidium. Interim caueat, vt pęoniæ radicē collo infantis suspensam, non remoueat, vel abijciat donec futurum nouilunium ad minus pertransierit, & per quatuor dies ad minus à die accessionis ipsa nutrix à vino abstineat, & cinamomo incoctam aquam pro eius potu accipiat, & hæc de cura, quæ in accessione ipsa exigitur.

Præser-

Præseruandos esse infantes à comitiali morbo neque in sola ætatis commutatione fidendum.

CAPVT XII.



SECVNDO quęrebatur si puerulus ob superfluam cerebri intemperantiam, ad humidum epilepsia correptus, à primoq; insultu vel naturę, vel artis simul beneficio euaserit, deinceps in sola ætatis commutatione, & condecente alimento per nutricem sit sperandum, atque fidēdum, vt authores plures asseuerarunt, vel potius curatione præseruatiua indigeant, & medicorum ope: Ad hoc dicendum quod puerulus nuper natus, qui non modo ratione ætatis abundanter humidus sit dicendus, sed etiā hoc nomine, quòd valde humida sit eius cerebri naturalis intemperantia, ætatis sola commutatione à comitiali morbo vtique persanari valebit, si prius ab hoc sæuo morbo non iuguletur, sed superstis ad alias ætates accedat; ita nemini ambigendum censeo. Cum namque terrestre quotidie magis efficiatur animalis corpus, dum augetur vt Gal. asserit aph. 1. comm. 14. superflua ea cerebri humiditas totius mali origo, sensim aduentitio calore exsiccatur, & cum ætatis commutatione pariter commutatur cerebri temperamentum, & ita puerum à comitiali morbo ipso persanari contingit, vt authores tradunt. Ex aduerso dicitur q̄d

cum

cum perdifficile in arte ſit temperamentum intra ſanitatis limites contentum in eius ſimmetriam cõſeruari, difficilius multo fuerit temperamentum quod non modo ętatis nomine, ſed etiam ex proprio cerebri temperamento ita humidum ſit, vt extra ſanitatis limites deceſſerit, & ad ægritudinem iam lapſum, vel corrigere, vel cõmutare abſque artis præſidio, & infantem ab ægritudine ipſa tutum reſtituere. Difficultatem hanc oſtendit Gal. lib. 6. de ſanitate tuenda cap. 3. vbi inquit. Verum cum humida victus ratio excrementa, & ſuccorum abundantiam pariat, difficile eſt ita mediocritatem ſeruare, vt neque morbi incidant, neque ſenectus maturetur: hæc Gal. Quo pacto igitur præhumidum infantem ab humido victu cauere poterimus, ne humidi exceſſus augeatur, & qđ lapſum iam eſt corrigatur ſi victum alium præter humidum eis exhibere non liceat? quemmadmodum Gal. innuit lib. 1. de ſanitate tuenda cap. 7. inquiens. Cibo eo potioneq; ſunt nutriendi, qui humidæ quã maxime naturæ ſint. Ad hunc modum & natura ipſa pueris conſuluit, & lac matris in humentis alimenti vſum præparauit. Humidum igitur humido ſic non corrigitur, ſed maxime augetur. tale ſiquidem additum tale reddat amplius tale, ut in topicis. Eadem difficultas ab ipſo Gal. oſtenditur in ſuo ad Traſib. cap. 19. dicente: Talem medius fidius, & bene ualentibus perfectum artificem opus eſt minime cuiuſque differentiæ, ac noxæ obſeruatorem iuxta, atque emendatorem, & paucis interpoſitis idem aſſerens inquit: At

N nunc

nunc cum diffluat, ſemper, atque diſpereat aliquo præſente obſeruatore indiget, qui & quod diſſipatur quantum, qualeque ſit cogniturus eſt, illicoque tale, ac tantum viciſſim inſtaurabit. Si igitur in conſeruando medici negocium expoſcitur, ergo & magis in corrigendo, vel commutando quod eſt ad ægritudinem lapſum temperamentum. Adhuc difficultatem hanc melius patefecit Gal. apho. vj. com. 2. inquiens. Humidioribus vero naturis ſenſibiles fiunt ſuperfluitates, & præſertim cerebri, quoniam eſt natura frigidius. Eos igitur qui ſunt humidiores ſiue cerebro tantum, ſiue corpore vniuerſo, non contingit ſalubrem vitam omnis expertem noxæ traducere, verum continuo deſtillationibus ex parua occaſione capiuntur, & ſi ſuperfluitates eis deſcendant, partes ſubiectæ offenduntur, fauces, guttur, aſpera arteria, pulmo, gula, ventriculus; at ſi non deſcendant, adde quod offenditur cerebrum, & cum ipſo facultates eius omnes ipſi noxæ ſubijciuntur. Non tuto igitur ſperandum videtur, quòd infantis temperamentum præ nimia cerebri humiditate ad ægritudinem lapſum totque malis ob noxium ſola ætatis commutatione, & abſque medici negocio ab ægritudine hac epileptica perſanari valeat, & ab imminẽtibus alijs præſeruari, cum præſertim ætatis commutatio non mutet corporis, & partium temperamentum in matris utero adeptum, à quo præcipue comitialis morbus oritur, licet ea commutetur humiditas, qua prima ipſa ætas cæteras pollet, & quæ morbi eiuſ-

bi eiusdem adiuuans est causa ob neruosarum partiũ imbecillitatem, cuius ipsa pariter effectrix causa existit. Quod verò superflua epilepticorum humiditas pręsidium exposcat, eiusdem Galeni præcepta ostendunt. In primo namque de sanit. tu. cap. 6. inquit, Quippe intemperies quæ intra sanitatis sunt terminos corrigere oportebit, ita vt q̃ iusto ſicciores sunt, humidiores reddas, quæ uerò humidiores sunt siccio res. Et aphor. primo cit. 16. inquit simplicem affectum simplici egere curatione. Et 1. de sanit. tu. cap. 7. inquit, Quę aliquo morbo præmuntur, ijs contra alterari & ad contrarium habitum trahi oportet. Verum quoniam pręcepta eiusmodi in uniuersum notiora sunt quàm ut à me ostendantur in his perperam immorandum non uidetur. Satis namque est nouisse quod morbus qui acutus, & magnus dicitur, cum pręsens fuerit profligari debet, pręcaueri autem cum imminens fuerit, & quod utrumque opus medici est negotium, medicinæque artis ambę sunt partes. His præceptis igitur, non oblitus medicus nec non experimento edoctus, ut a sęuo morbo tanquam procellę fluctibus minime iactetur puer, sed ab imminenti periculo tutus emergat nec immature adeo disrumpatur stamen nõ modo ad curationem irruentis acessionis vt ab ipsa extrahatur liberq; euadat puer, sed etiam ad imminentem ut ab ea tutus seruetur, maxime addictum esse debet; & idcirco postquam de curatione egimus mox de preseruatione agere opere pręcium fuerit. Neque ob id Hippocratis sententię

ſuper 6. epidemiarum nos aduerſari, nemo dicere cũ ratione vmquam poterit, quãdoquidem antiqui diuiniq; illius magiſtri admirandæ doctrinæ addicti, illius præcepta perpetuo ſeruabimus, & ſic fatemur cum ipſo, quod infantium effulgeſcentiæ ætatis com mutatione nonnumquam ſanantur, vt cit. loco Hip. peruulgauit. Nos idcirco tum curationem tradere vt antea, tum præſeruationem modò intendimus eorũ ſcilicet, quos ſola ætatis commutatione perſanari mi nime putamus minime vero illorum quos ſola ætatis commutatione ſanari tutò ſperare confidereque valeamus. Hippocrates ſiquidem vt alias oſtendimus perdictionem illam nonnumquam ſignificare voluit infantium effulgeſcentias interdum vel aliquando ſola ætatis commutatione perſanari, interdum verò minime vt Auic. fen. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 8. pariter ſentit. dictio illa namque ad vtrumlibet refertur, ad illos uidelicet quos perſanari aliquãdo contingit, & ad illos qui ſola ætatis commutatione minime perſanãtur: dubio procul namque hoc ſequitur quod ſi infantes aliquando perſanantur, aliquando etiam non perſanantur. Cum igitur per Hippocratis verba, infantes, epileptico morbo aliquando nonnullos perſanari ſola ętatis commutatione nonnullos verò minime perſanari recte intelligendum ſit, de illis tantummodo pertractare tum curationem, tum præſeruationem quos perſanari minime putamus, & qui auxilio, & medici opere deſtituti antequam ad aliam ætatem accedant, ab hoc ſeuo morbo enecarentur

(ut ſe-

(vt sępius contingit) si eis medica manus adiutrix citissime non foret. Præterea dicitur quod Hippocrates eo in loco non distinguit neque determinat qui sint infantes qui nonnumquam sola ætatis commutatione sanantur, & qui sint ij qui minime persanantur, nos verò cum circa particularem infantem in praxi versemur in præseruando quemadmodum in curando, præscire vtiq; non valemus, an qui in accessione torquetur puer euasurus sit, quemadmodum neque qui semel euasit an in futurum ab imminenti alia accessione præseruari ualeat, cũ pluries eiusmodi morbus repetere soleat; ut Authores ferè omnes tradunt, & inter cęteros Quintus Serenus, vbi inquit. Ipse deus memorat dubie per tempora lunę. Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit. Quā de re cum anceps sit pueri euentus, quis nõ putabit tutius tunc esse artis præsidijs occurrere, quam impiè infantem deserere, & nihil agere? Nemo dubio procul si Gal. præceptis nõ fuerit oblitus, & præcipue lib. 11. meth. cap. 21. & eius quod Magnus Cęlsus elegantissime peruulgauit, inquiens suo lib. 2. cap. 10. Satius est anceps quam nullum tentare præsidium. Cum igitur noxium minus sit atque tutius puerum curare, qui ætatis commutatione fortasse persanaturus esset, quam non sanaturum deserere, & absque artis præsidio destituere, qui subinde à morbo ipso iuguletur, vt nemo inficias ibit, planum fit quod ab Hippocratis sententia minime recedamus. Præseruandus igitur est infans à comitiali morbo, qui-

bus verò id ſit agendum, ſequenti capite oſtendetur.

In præſeruando infante à comitiali Morbo quid agendum.

CAPVT XIII.



VPLICI de cauſa nuper nati infantes comitiali morbo tentari Gal. aſſerit lib. 6. epidemiarum, vel enim ob valde humidam cerebri temperaturã in matris vtero adeptam, vel ob nutricis errata. Cum variæ idcirco ſint imminentis morbi cauſæ, varia quoque erit ſua cuiuſque præſeruandi cura. Illi autem qui ob valde humidam cerebri temperaturam hunc morbum experiuntur, ſunt qui non nunquam ſola ætatis commutatione ſanantur autore Hip. cit. lib. 6. epidemiarum, quem vere ſectatus eſt Auic. fen. 1. lib. 3. tractatu 5. cap. 8. vbi inquit, dictos infantes quandoque ætatis commutatione nõ verò ſemper ſanari. Cum igitur eiuſmodi infantes quandoque ætatis commutatione ſanentur, quandoque verò non ſic perſanentur, ſed commoriantur, vel immature enecentur, vt ex authoritatibus dictis conſtat, & vt quotidianum experimentum nos docet; ipſorum autem præſeruatio tractari debeat, ſtatuendum in primis videtur, an intemperies eorum valde humida cum humido excremento aſſocietur

(vt

(vt credendum videtur) nec ne. Si diuini ſenis aſſerta legamus ſup.lib. de ſacro morbo cauſam explicantis qua infantes comitiali morbo capiuntur, & eius morbi per eſſentiam, euentum ſimul; tripliciter morbum ipſum oriri oſtendit, videlicet vel à multa humiditatis copia, uel à modica, vel à valde modica. Cum a multa oritur copia cit.li. tex.9. ſic inquit. Et quicunque pueri parui hoc morbo capiuntur, vt plurimum moriuntur, ſi multus fluxus contingat, iſque humidus exiſtat, & quæ ſeq. Cum à modica eodem tex.infra ſic inquit, ſi vero modica exiſtens pituita in vtraſque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis, ſuperuiuunt. Cum à valde modica eodem lib. tex. 10. loquutus fuit inquit. Quibuſcunque autem imperfectis, & valde modica pituita defluxerit, & ea in dextras partes: hi citra notæ impreſſionem ſuperuiuunt, verum periculum eſt ne morbus connutriatur, ac ſimul vigeſcat, ſi non his quæ comoda ſunt curentur; & his prædictis ſubdit, pueris quidem igitur ſic fit hic morbus, aut quamproxime huic modo. Alexander Trallianus quoque de eiuſmodi cauſa inquit, in eiuſmodi puerulis cerebri ventriculos humiditate repleri vt apertiſſime oſtendit in proprio cap. Præterea cum Gal. dicendum eſt, quod qui temperamento, & frigido, & humido, & cerebri præcipue exiſtunt, excrementis redundant, vt patet lib. de art. med.cap.22. Ex his itaq; iam ſatis conſtat, quòd puerulì ipſi non nuda tãtum temperatura, ſed cum excremento ſimul cum ea redundante comitialem ipſum

morbum contrahunt. Quæ valde humida igitur tẽperatura cerebri reperitur, ſui correctionem expoſcit: quæ vero in cerebro ſuperfluit humiditas à nobiliſſimo membro demi poſtulat; caputq; tandem roborari. Hæc ſunt peragenda opera: Inſtrumenta vero, quibus ea peragenda ſint in triplici genere cũ contineantur, in ratione uictus uidelicet, in medicamentis,& chirurgica manu, à quatuor fontibus haurienda erunt, & idonea ſeligenda. Neque ob id obſtabit, ſi quis dixerit quòd Hip. ſola victus ratione ſeruata per ætatis commutationem morbo comitiali pueruli perſanantur, & alia non requirantur inſtrumenta,quandoquidem ultra id quòd ſatis ſuperq; ſuper eiuſmodi negotiũ quælibet diluta fuit obiectio, amplius adhuc reſpondetur: quod ſi Gal. in hac re præcipue admittere non dedignentur, quod Gal. ad Hip. mentem ſentiat iam pronuntiatum ab eo eſt, ſententiam legant ſuper 5. apho.com. 7. exaratam, vbi ſic ad verbum inquit. Verum Hip. nunc ſolum eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit, à qua docti, & formam victus unà cum medicinis inueniemus, ponderent uerba,& ſuimet lector iudex exiſtat. A fonte igitur qui ea ſcaturit, quæ per os ſumuntur pro cibo, & potu nutricis lac hauriemus, quod & ſi de humectantium genere ſit, & à Gal. declaretur 1. de ſanit. tu. cap. 7. correctio vero per contraria fiat, nihilominus, cum ex euidentibus neceſſarijsq; cauſis exiſtat, tùm ſanitatis, tùm morbi, & hoc ſolum alimentum pro puerulis ipſis alendis à natura fuerit

adin-

adinuentum, cum Alex. Tralliano dicamus, vt in
proprio cap. dum inquit: Attamen iuuare nos curáq;
habere oportet, vt lac nutricis benignum ſit, & recre
mentis liberum. Pręſtat tandem, vt curemus, quod
vniuerſa victus ratio nutricis ad calidum, paritérq;
ad ſiccum moderate vergat. Cibi eius igitur ſint bo-
ni ſucci, & qui leui negotio concoquantur. Carnes
comedat laudabiles, caueatq; à nimio iuſculorũ vſu,
& in cœna potius aſſatas quam elixas carnes come-
dat. Vtaturq; ſorbilibus ouis, & ex ijs cũ pane uel fa-
rina confectis in diebus præſertim, in quibus carniũ
prohibetur eſus, & tandem in cibo, & potu ſe gerat
nutrix, vt in tractatu præcedenti de conſeruanda ſani
tate proprio capite oſtendimus, & ſic in cæteris om-
nibus ſex rebus nõ naturalibus, prout in ſingulis ſuis
capitibus edocetur: hoc tamen addito atque ſeruato,
quod vniuerſa victus ratio, vt eſt dictum ad modera-
te calidum, ac pariter ſiccum adeo inclinet, vt quod
humidum eſt cerebri valde temperamentum, ſenſim
corrigatur, & eiuſdem nouus vlteriusq; lapſus inhibe
bitur, & quod pro ſcopo habemus contemperamen
tum nanciſci poterit, ſi cum hoc cęteri ſeruentur ſco-
pi. Vt ſcopo alio igitur euacuandi ſatisfaciamus, in-
terim demenda eſt redundans humiditas à cerebro
infantis. Nulli autem tuta magis euacuatio cogitari
valet, & quæ facilius ab infantili ætate toleretur, vt in
cura acceſſionis oſtenſum eſt, quam ea quæ per deri-
uationem ad vicinia efficitur per inuſtum occipitiũ
quod præſidium à Magno illo Celſo celebratur, vt

in

in ſuo de comitiali morbo legitur. Præſidium hoc ſiquidem nõ abſque methodo, & ratione, tùm ad preſeruandum quemmadmodum etiam ad curandum celebratur, & in hac præcipue Florentiſſima Florentiæ vrbe, in qua cum familiaris adeo, & endimicus. ferè ſit infantilis hic morbus, pauci exiſtunt pueruli, quibus cum iam menſem agerent, & decreſcente luna ad præſeruationem, occipitium nõ inuratur. Hoc namque præſidio, vt ante fuit dictum noxię humiditatis fit euacuatio, & à toto cerebro deriuatio, & eidẽ contemperamentum & robur præſtatur: omni ingenio igitur curetur, & apertum teneatur emiſſarium donec infans caninos dentes perforauerit. Alium deinceps fontem petentes qui ea quæ extrinſecus fiunt, ſi in capite vlcuſcula, & cruſta lactea non effloreſcat, tum ad contemperamentum, tum ad robur hic puluis ſupra comiſſuram in coronali ſutura aſpergatur.

Rec. maioranæ, cipperi,

Sandaracæ, ſem: peoniæ.

Bettonicæ an.q.ſufficit puluerizẽtur ſubtiliſſime, & vt eſt dictum aſpergantur. Et ſi infantis ventris beneficium non habeatur, tunc nutrix vberis papillam melle modice cocto illiniat, & ori ad ſugendum indatur. Si verò grandior nata fuerit exhibeatur ſic.

Rec. mellis albi modice cocti coclearis dimidium vel integrum, peoniæ gr.iij. exhibeatur infanti ſingulo mane ante alium cibum donec ciatur aluus, & tũc proſequatur eius exhibitio prout opus fuerit. nam qui duras aluos habent, facile hoc morbo corripiuntur

tur teſte Hip. 3.apho.25.ſi verò in capite infantis puſtulæ,& cruſta lactea effloreſcat, & ſi cum humidiori cerebri temperamento comitialem morbum experti adhuc non fuerint,dum cruſta ipſa lactea vigebit, occipitium inurere nõ oportebit, modo ſeruetur quod per puſtulas ipſas cerebrum repurgetur, Et ſi puſtulæ ipſæ exſiccarētur lactis modicum ſuper eas nutrix exprimat,& manu ſua leuiter confricet,nam ſi reuiſcēt, & ſanioſam humiditatem fundent, & hoc ad euacuandum ſufficiet, vt Hip.docet lib. de morbo ſacro tex. 7.vbi inquit;& quibuſcumque quidem pueris erumpunt vlcera in caput,ipſi in progreſſu ętatis facillime degunt hìc enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat. hoc idem Auic.in 1.3. trac. 5.cap. 8. & qui ſic purgati fuerint comitiali morbo ferè non apprenduntur: Quibus verò,& è contra, & quæ ſeq. Verum ſi puſtulæ in capite effloreſcant, & nihilominus eo morbo tentetur, ea quæ dicta ſunt præſidia requiruntur, & victus ratio eadem ſeruetur. A ſingulis tandem cauſis externis pręcauendi ſunt infantes, à quibus comitialem hunc morbum excitari contingit. quæ recenſentur ab Auic. in 1. 3. cit. loco vt eſt vox timpani, vel tubæ, ſcopletorum, altus clamor, & à ſingulis quæ ſubitum timorem afferunt, & vigilia,& ira, frigus vehemens,& calor fortis, & malitia digeſtionis, & à cæteris excitantibus cauſis de quibus ſuo loco egimus.



De

De curando ac præſeruando infante à comitiali morbo cauſa vermium contingente.

CAPVT XIIII.



OMITIALIS is morbus de quo egimus per eſſentiá orto in ipſo cerebro, nunc idem per conſenſum à ventriculo ductum puerulos crebro exercere ſolet, conſenſus verò à ventriculo per prauos vapores in ipſum cerebrum aſcendentes impertitur. Eorum namque prauitate, & venenata fere qualitate cum cerebri ventres feriant, facultas verò noxam percipiens, expultricem naturalem excitat, & ſic ambabus inuicem ſuum munus quò valeat fungentibus, contrahuntur, vt noxam à ſe depellant, & coarctantur ſimul ventriculorum parietes, & neruoſæ partes conuelluntur, & ita ſequitur in cauitatibus, ac ductibus adſtrictio, & ex conſequenti ea ſpiritus animalis interceptio, & ſic à proximis his cauſis in cerebro conflictus oritur. Antecedens, atque primaria conflictus ipſius cauſa putredinis eſt minera, quæ vel à vermibus in ſuperiori, vel in infero ventre exiſtentibus, vel à corrupto lacte in eodem ſuperiori vẽtre infantis auide nimium ingurgitantis, vel praua lactis qualitate contingit, & hæc primaria eſt cauſa à qua conſenſus oritur, & quæ totius mali origo eſt, & principium, vnde motus dici debet. Dignotione habita,

bita, ſic prædici poterit, quòd non ita periculoſus eſt eiuſmodi affectus, neque adeo difficilis, cum nobiliſſimum membrum in ſe cauſam non contineat. Curatio erit quam primum aggredienda, vt ventriculorum, nec non cæterarum neruoſarum partium conuulſio ſedetur, quæ ſedabitur, nec non ab ea præſeruabitur infans, ſi praui illi vapores, qui animali facultati triſtem efficiunt ſenſationem, & naturalem expultricem ſic cogunt, inhibeantur; inhibebuntur verò ſi putredo ea euacuetur à ſtomacho, à quo tetri ipſi vapores exhalant, & ſi à vermibus putredo emergat, educenda vnà cum vermibus putredo fuerit, & vt facilius, tutiusq; extra ducantur eos enecare curandum erit, ne inteſtinis adhereant vt Gal. monet lib. 13. meth. cap. vltimo. Vt igitur putredo ipſa euacuetur, ſimul ac vermes retrahantur, vel etiam enecentur, & enecati, vel compoſiti extraducantur in primis infanti enema infundatur ſic:

Rec. melicrati vnc.iiij.
Butiri recentis. vnc.j.
Aloes ſuccotrini ſcr.j.

Salis parum miſce fiat enema: Hoc enim præſidio ſi vermes inteſtinis adhereant eos educemus; & ſi in ſuperiori ventre extiterint à dulcedine melicrati educentur, & allicientur, & amaro aloe fortaſſe enecabūtur, vel à butiro compoſiti foras educentur, nec non putredinis in ventriculo exiſtentis ipſo enemate fiet tractio. Vt vero ſcopus hic euacuandi compleri valeat,

leat, ſi corruptum lac, vel vermes, aut putredinis eorum minera in ſtomaco contineatur.

Rec. mellis modice cocti vnc. j.

Pulueris vermium terreſtrium in vino albo lotorum, & exiccatorum ſcr. iiij.

Miſce de hac miſtura alternis diebus nutrix infanti coclearis dimidium exhibeat, & menſem vj ſi attigerit exhibeatur integrum, & ſi nuper natus, & paruulus fuerit, vel digitum, vel papillam illiniat nutrix, & ori infantis ad lingendum indat. Si grandiuſculus fuerit puer, vt iam annum egerit, ſic

Rec. rhabarbari ellecti parum acerbi q. u. & cum eo accipe ſaccari fini q. ſuf. & ſecundum artem fiat tragea, vel pezzicata vt vulgo dicitur, de qua exhibeatur puero. Præterea infantis vmbilicus vnguento hoc liniatur.

Rec. veſſicam cum vrina apri intus ſimul in furno exſiccatam, & pulueri zatam, de quo puluere accipiat ſic.

Rec. pulueris ſupradictæ ſcr. iiij.

Olei amig. amararum perſicarum vnc. j. s.

Farinæ lupinorum dr. s.

Ceræ parum, & aceti modicum: miſce fiat linimẽtum, & infantis vmbilicus cũ eo liniatur, vel fiat ſic.

Rec. pulueris dictæ dr. ij.

Olei amigd. amararum vnc. j.

Farinæ lupinorum dr. j. s.

Aceti parum.

Fermenti

Fermenti tenerioris q. suf. ad incorporandum: misce fiat emplastrum, & vmbilico infantis superponatur. Si affectus perseueret.

Rec. lapidis Bezoar ex vero, & non adulterato gr. ij. vel iij. secundum quod maior vel minor natu fuerit exhibeatur cum lacte, vel cum iure pulli, vel cum pulli stillaticio; exhibeatur in mane, vbi à somno expergiscitur. vel sic.

Rec. terræ sigillatæ ex electa gr.x. exhibeatur infanti cum iure pulli. Nutrix vero amara comedat, vt cicorium, allium, oliuas cōditas, & eius modi alia vnà cum laudabilioribus cibis, prout suo loco fuit dictū. Satietatem nimiam vitet, à coitu abstineat, somnum meridianum vitet, & exercitium non dimittat, neque quotidianum alui beneficium, & tandem se regat vt suo loco dictum fuit. Debet quoque nutrix dum lumbrici puerum infestant alternis diebus sumere catapotia hæc, videlicet

Rec. pillu. de tribus scr.ij.

Formentur pillulæ tres, inaurentur, & eas capiat per horam ante cenam. Poterit quoque nutrix quousque vermes puerum infestabunt singulo mane per duas, vel per vnam tantum horam accipere sic.

Rec. conseruæ peoniæ vnc.ij. s.

Teriacæ vnc.s.

Oximellis squillitici vnc. j.s.

Sy. de hisopo vnc. j.

Amidi purissimi q. s. reformetur electuarium, de quo capiat nutrix singulo mane quantum castanea.

De

De curatione fluoris alui in dentitione contingente.

CAPVT XV.



Lvi profluuium in dentitione, & maxime dum caninos dentes edunt, pueros exercere ſolet Aut. Hip. lib. 3. aphoriſmorum apho. & com. 25. In eiuſmodi affectu crebro, & liquidiora excrementa per aluum excernuntur, & idcirco ſimptoma eſt de immodice excretricibus, vel de exeuntibus mutatis. Cauſa vero, vt ſic non rite, & plus iuſto excernantur, & liquidiores ipſæ alui deiectiones, duplex à Gal. cit. loco ſtatuitur. Vna quippe eſt coctricis attractricis, vel diſtributricis fruſtratio alia. Cauſas alias rurſus eo in loco Gal. tradit, ob quas tùm coctio alimenti, tùm eiuſdem diſtributio non recte fiat. Cum namque inter ſimptomata, quæ dentium perforationem ſectantur dinumeraſſet gingiuarum prurigines, febres, conuulſiones, & conſequentes dolores, & vigilias tandem inquit, Ad hæc omnia etiam ex neceſſitate ventris profluuia conſequuntur. Planum fit igitur quod ex vigilijs ob dolorem, & febrem, & inflammationem contingentibus, cruditates in cerebro præſertim progignuntur, quæ deinceps ad gingiuas labũtur tanquam ad ægram, & imbecilliorem tunc partẽ, nec non ratione doloris, ad gingiuas ipſas attrahentis. Alui profluuium ſubinde oritur partim ob hu-

miditatem

miditatem ipſam ex gingiuis in ventriculum, & inteſtina labentem, partim quoque ex coctricis vitio, quæ non bene concoquit, & attractricis, quæ non bene diſtribuit, quemmadmodum Gal. cit. loco aſſerit. Errant quidem facultates cum ſe ipſis ambæ imbecilliores redditæ fuerint ob dolorem, & cætera iam dicta ſimptomata dētium perforationem ſectantia; Igitur fluoris alui curatio in hoc conſiſtit, vt ſimptomata ipſa curentur tanquam cauſæ, à quibus hoc aliud ſimptoma oritur. Dolore ſiquidem ſedato cætera ſimptomata pariter cum alui fluore ſedabunt: quandoquidem ob dolorem, & vigilias in cerebro cruditates procreantur, quemmadmodum & in ventriculo, & facultates ipſæ naturales imbecilliores redduntur, & hac de cauſa tùm coctione, tùm etiam diſtributione fruſtrata ipſe alui fluor contingit. Prima igitur curandi indicatio à dolore ſumi debet, tanquā ab eo qui noxiam materiam ad partem ab eo conflictatam attrahit, & vires atterit, & cùm à cauſa quæ euitari non valeat hic pendeat, videlicet dētium perforatio, ſedari ſaltim expoſcit. Verum quia non facile ſedari valet, ni prius humiditatis affluxus inhibeatur, qui gingiuas in tumorem attollit, & dolorem ipſum inuehit, & in parte ipſa inflammationem fouet. Vt vero inhibeatur affluxus demenda eſt quæ redundat, & etiam progenita eſt in cerebro humiditas, & deinceps roborandæ ſunt partes, tùm quæ mandāt, tùm quæ recipiūt, & ſic in curādo effluxu ad gingiuas, & ſubſequentia ſimptomata alia. Tres erunt

ſeruandi ſcopi, videlicet ſedandus eſt dolor, demenda eſt redundantia, roboranda ſunt partes, cerebrum videlicet mandans, & gingiuæ recipientes. Vt poſt modum alui fluor ſiſtatur, ſimptomati priori, à quo mali origo ducitur, dum prouiſum fuerit, inferiora membra roboranda erunt, vt ventriculus, inteſtina, & hepar, tùm quia à ſuperioribus noxam receperunt, tùm etiam quia ab ipſorum facultatibus bona reddatur coctio, & recta fiat diſtributio, & ita à ſingulis ledentibus cauſis, quæ affliguntur liberatis partibus, & eiſdem roboratis ceſſabit alui fluor, & perſanabitur Deo fauente puer. Reliquum eſt igitur, vt ſub eorum tertio qui poſiti ſunt tres ſcopi, qui eſt roborandum eſſe reſpiciantur naturalia dicta membra, vt ſic rationalis & per methodum fiet curatio: Ex primo ſcopo ſedandum eſſe dolorem nobis oſtenditur, quibus id agendum ſit, in proprio capite de gingiuarum prurigine ſupra inſtitutum fuit, vbi recurrat qui dolorem ipſum ſedantia præſidia exoptabit; ſequitur euacuandi ſcopus, Pars quæ euacuari debet eſt pueri cerebrum, quod euacuandum eſt, humida excrementi eſt redundantia. At cum euacuatio quædam ſenſibilis ſit, inſenſibilis alia: vt hac via in ſenſibili fiat, nulla alia in tenella hac ætate accommoda magis & quæ tollerari valeat, quam ea quæ per victus rationem inſtituitur, vt qui ſic ſatis habent vnde euacuentur dicebat Gal. ſed cum in propoſito nobis caſu hæc nobis minime ſufficiat, ea quoque moliẽda erit quæ ſenſibiliter euacuat. Et quoniam eiuſmodi ętas,

neque

neque eam quæ per medicamenta fit licet in casu nō expediat, neque per venæ sectionem minime tolleret, his idcirco omissis ad illud euacuationis genus, quod in eiusmodi ætate magis expedit, & tolleratur tunc accedamus. Vt inhibeatur confluxus à cerebro ad subiectas partes, tùm fluens, tùm fluxum, & in cerebro redundans humiditas, vel reuellenda est, vel ad vicinia deriuanda, & euacuanda. Si igitur in capite pueri sic affecti, pustulæ, vel crusta lactea efflorescant, nullum præstantius præsidium excogitari poterit, quam per ipsas pustulas quo natura vergit, materiam ad effluxum paratam, & quæ fluit reuellere. Hoc facile assequi poterit, si pustulæ ipsæ ad saniositatem iugiter ducantur, & interim detergantur. Vt hoc facilius præstetur nutrix singula die si opus fuerit, vt reuirescant super ipsas pustulas, lactis guttulas aliquas exprimat, & manu sua leuiter confricet occipitium versus trahendo, & ita die singula redundantis in cerebro excrementi reuulsio, simul ac euacuatio fiet. Verum si in capite pueri pustulas non efflorescere contingat, quoniam ex Hip. & Gal. iam sup. posuimus simptoma hoc à dētium perforatione oriri cum cæteris dictis affectibus, vt in cit. 3. apho. tex. & com. 25. quæ simptomata, & epilepticam conuulsionem præsertim vt præcaueamus, occipitij inustionem præ ceteris præsidijs celebrandam esse suo loco ostendimus; idcirco si ad eiusmodi præseruationem puero iam inustum fuerit occipitium, aliud negotium medico facessere non oportebit. sed emissa-

rium illud apertũ seruetur, vt suo loco dicitur; Quod si inustum infanti occipitium non fuerit, expediet vtiq; ipsum inurere, vt non modo ab alui fluore si perseueraret, verum & à cõuulsione epileptica quod magis refert, nec non à cæteris affectibus dentium perforationem sequentibus præseruaret. Modus vere inurendi, & locus inurendus, & tempus quó apertum emissarium seruari debet supra in capite de comitiali morbo ostenditur. Et si fortasse cum alui fluore leuia essent cætera simptomata, & non adesset suspitio de imminenti epileptico morbo, ob solum alui fluorem non esset caput inurendum, sed si euidenter cerebri destillatio fluori occasionem præberet vice cauterij vessicatoriũ in occipitio ipso administrarem, & ipso pro deriuatione, simulac euacuatione vterer secundum indigentiam, roborandum interim cerebrum fuerit sic.

Rec. pul. bettonicę.
Pul. maioranæ
Rutæ. sem. peoniæ an. scr. ij.
Pul. sandaracæ scr. j.

Misce de hoc puluere aspergatur supra comissuram coronalem, & alternis diebus remoueatur, & noua reiteretur. Gingiuis uero robur præstabit prout in cap. proprio de gingiuarum prurigine dicitur. Stomaco vero sic succurratur.

Rec. olei de absinthio
Olei masticini an. unc. s.
Pul. mentæ siccæ

Pul. corall. rub.
Terræ ſigillatæ an. ſcr. s.
Ceræ & aceti parum: miſce fiat unguentum molle cum quo ungatur ſtomacus mane & ſero, ſed cum vino ſtiptico calido illinitio iam facta detergatur, priuſquam denuo illinatur: vel vngatur ſic.

Rec. olei nardini } an. unc. s.
Olei de citonijs }
Spet. aromatici ros. g. vj.
Cornu ceruini vſti g. v.

Ceræ & aceti parum: miſce & fiat linimentum cũ quo ſtomacus mane & ſero liniatur, vt ſupra. Inteſtinis vero robur indetur ſi mane infantis vẽter abluatur cum uino albo in quo efferbuerint roſæ, mirtilli, baccæ lauri, mentha. poſtea ungatur infraſcripto linimento.

Rec. olei mirtillorum
Citoniorum
Maſticini an. dr. iij.
Spet. triaſandalorum
Terræ ſigillatæ
Cornu ceruini vſti an. gr. iiij.

Ceræ parum fiat linimẽtum quo regio ventris tepide, & ſubtiliter ungatur poſt lotionem.

Nutrix vero obſeruare debet petias, & linteamina quibus puer obuolutus fuerit inſpiciendo an excreta mutentur, & ſuo colore, uel flaua, vel crocea appareant, uel uiridia. notabit quoque ipſorum quantitatem, & ſi eiuſmodi colore tincta appareant, & ſic

perſeuerent, aduocetur medicus qui accerſitus inſpiciat inſpicienda, & tùm qualitatem, tùm quãtitatem deiectionis obſeruet, & ſimul puerum tangendo obſeruet an febris adſit. Quod ſi febricitet, dignoſcat an cauſa dentitionis, an ob vermes, vel ob aliam putredinis occaſionem, & ſi cauſa dentitionis, vel vermium, recurratur ad propria capita ſupra deſcripta, vbi ſingularum dictarum cauſarum ſua curatio traditur. Interim verò, nè à bilioſis illis excrementis inteſtina abradantur, uel exulcerentur, ſi perſeuerent ſic.

Rec. melicrati cum melle albo, & aqua borra cõfecti, vel aqua ordei unc. iiij. oui cum albumine dimidium m. infundatur enema. uel ſic.

Rec. iuſculi paruæ pullæ non ſaliti unc. iiij.
Oui dicti dimidium
Sy. roſati de roſis ſiccis dr. iij.
Miſce fiat enema.

Venter quoque, & hepatis regio ſic illiniri poterit.

Rec. olei mirtillorum
Olei melini an. unc. s.
Sandalorum rubeorum, & citrinorum an. gr. iiij.
Roſ. rubearum gr. iij.
Succi cicorei parum.

Ceræ quod ſatis eſt fiat unguentum molle, quo ut eſt dictum liniatur. Verum ſi ab eiuſmodi humoribus ob eorum acredinem inteſtina exulcerari cõtingat, uel abradi, quod dignoſcetur à cruẽtis deiectio-

nibus

nibus à conatu in egerendo, & à fletu ob tormina, & dolorem contingente, tunc de præsidio consulere debet medicus. signum namque esset tenasmonis, cui sic succurratur

Rec. lactis caprilli, in quo silices fluuiales ignitæ, vel ferrum candens extinctum fuerit.

Olei rosacei omphacini unc. s.

Sæpi hircini cum dicto oleo liquefacti unc. s. uel dr. ij. prout natu maior fuerit, lutei oui cum albumine simul parum: misce fiat enema, quod singula die reiteretur secundum indigentiam. Si uero enema nō tolleraret infans sequens insessio, uel lotio fiat.

Rec. uerbasci
Bursæ pastoris
Plantaginis
Rosarum rub. an. m. j.

Fiat decoctio in uino rubro cum tertia parte aquæ borræ, cum quo decocto fiat lotio, uel insessio, prout ætas pueri tollerabit. Poterit quoque suffumigium eiusmodi parari, ut in perforata sede locatus puer ad anum fumigium tendat, & intus recipiatur.

Rec. therebintinæ
Picis grecæ
Masticis
Sem. uerbasci an. q. u.
Paretur arte suffumigium.

Et si primitus intestini recti dolor inualesceret, tunc pectem, & spinæ imum circa os sacrum hoc linimento ungatur.

Rec. olei maſticini
Olei mirtillorum an. uuc. s.
Sæpi hircini vel veruecis an. dr. j.
Terræ ſigillatæ
Pul. uerbaſci
Ros. rub. an. gran. v.
Ceræ quod ſatis ſit, fiat linimentum, quo vtatur ut ſupra uel fiat ſic,
Rec. oua tria cum albuminibus conquaſſata.
Croci gr. iiij.
Sæpi hircini uel ueruecis
Olei maſticini an. unc. s.
Fiat frictatum quod ſupra pecten tepide apponatur, uel ſic.

Rec. ueruecis Zirbum frigatur leuiter in ſartagine cum pauco vino rubro, & de eo quantum infantis pectini conueniat recipiatur, & ros. rub. puluribus aſperſis deſuper pectini applicetur tepenter, & vbi frigeſcat iterum calefiat, & iterum apponatur quandoquidem in eiuſmodi doloribus, & premitu ſedando mirum in modum valere conſpeximus. Et ſi infans menſem iam ſeptimum attingat poterunt infundi enemata ea formula qua ſupra deſcripſimus, uel ſic.

Rec. aquæ borræ calibeatæ unc. iiij.
Sepi hircini.
Olei roſati omphacini an. unc. s. uel olei dicti q. ſuf. ad fundendum, & incorporandum pinguedinem hircinam.


Lutei

Lutei oui aſſati dimidium, & ſi quod per aluum deijcitur cruentum eſſet, tunc ouum non aſſetur, ſed accipiat crudum cum albumine. uel alio enemate ſic vti poterit, vbi mineralis ipſa aqua inueniri non poſſit.

Rec. iuris pulli galinacei, uel ueruecis non ſaliti in quo incocta ſint plantago.
Burſa paſtoris
Arnogloſſa
Ordei torrefacti an. q. conueniat de quo decocto
Rec. unc. iiij.
Olei mirtill. uel roſacei omphacini unc. s.
Sæpi hircini dr. iij.
Lutei oui aſſati n. s. miſce fiat enema quod omni cum cautela, & dexteritate infundatur.

Nutrix uero tunc temporis in ſex rebus non naturalibus ita ſe regere debet, vt eius victus ratio aſtrictoriam facultatem habeat, ita vt ſingula eius fercula quæ incoqui debent, in calibeata aqua incoquantur, carnibus vero vtatur aſſis magis, quam elixis, & potius ex montanis auiculis ſint, & in dumetis degentibus, quam cæterorum animalium.

Finis Quartæ partis.



APPEN-

APPENDIX DE VARIOLIS, ET MORBILLIS

Eiuſdem Authoris.





VARIOLAE, ET MORBILLI paruæ ſunt puſtulæ ſuper carnem in cute efflorcſcētes, Gal. exāthemata nuncupauit. Hip. ξυτιματα Plinius papulas, Arabes vero, & Latini omnes fere variolas, & morbillos hodie vocant. Morbus hic contagioſus eſt, ijsq; præcipue ipſorum contagium impertitur, qui alias eiuſmodi morbum experti minime fuere. Plerumq; ſiquidem compertum eſt, & ad huc experientia comprobatur, quòd ſi plures in domo aliqua pueri reperiantur, ſimulq; in habitent, ſi ipſorum vnus hoc morbo ægrotauerit, ab hoc tanquam de vno in alium idem morbus vagans, cæteros non multo poſt tempus apprendit. Eſt præterea ſingulis hominibus adeo communis, vt vix nullus ſit, qui ſua vice ipſum non experiatur, ni præcox mors illum tollat aliquo alio præueniente exitiali morbo, vt in dies experimento obſeruatur. Morbus hic quamuis inter-

Variolę con= tagiosę sunt

intercutaneus dicatur nihilominus non modo vniversa cutis ſed intimæ quoque partes vt os, aſpera arteria, pulmones, & inteſtina hac labe tentari exulcerariq; ſolent. Morbi genus eſt in intēperie ob febrem, ſimul ac in quantitate, & aucta mole, quia ſingulæ ſubiectæ partes tument, eſt nec non in vitiata figura ob capitis & faciei deformitatem, ſed etiam ex eo quod vniuerſum corpus deforme adeo cernitur, vt vniuerſa cute in fetētes cruſtas ſoluta occluſis oculis, vt corpus omne quemmadmodum Doct. Ambianus exacte comparauit, non aliter contabeſcere, & nigrore torreri cernitur, quam ſi menſes quatuor è furca pependiſſent, & idcirco morbo etiam occupantur comitiali, videlicet in ſoluta cōtinuitate. Cauſa eiuſmodi morbi, quæ proxima dicenda videtur praui ſunt humores cutim attollentes in tumorem, & eandem exulcerantes. Antecedens vero expulſio eſt reliquiarum ex menſtruo ſanguine, quo altus fuit fætus à benigno ſeparatarū naturalis excretricis opere functa; ſeparationis eiuſmodi cauſa ſanguinis eſt ebullitio: ebullitionem hanc Auic. in 1.4. recte comparauit inquiens. Per ebullitionem etenim non ſecus accidit, quàm in ſucco vuæ, vel muſto qui dum ebullit, expulſa aerea ſpuma, & fece terrea rectificatur, atque purificatur vinum, & ita ſanguinis purificatio contingit. Cauſa uero ebullitionem excitans eſt uel occulta aeris qualitas, vel præſentis tunc cæli ſtatus aduerſa conſtitutio, vt præcipue eſt Auſtrina, uel prauus inſpiratione attractus aer à prauo tetroque ua-

que vapore ab vlceratis pustulis emanans, ijsq; ad patiendum paratis contagium præstans. Alia causa prauam materiam à penitioribus partibus ad cutim propellens est naturæ, & excretricis eius robur, vbi à prauo hoc fomite, & quandoque simul ab humorum redundantia, ac indebito cibi, potusque usu consequente degrauata se ipsam exonerare cupiens, hanc molitur expulsionem, vt Auic. cit. loco author est, & Haly abb. lib. 8. suæ theoricæ inquit. Confortata autem super eas natura expellit ad corporis exteriora. Et Auenzoar lib. 2. trac. 7. inquit. Cum autem post natiuitatem natus incipit inualescere, & fortificari, natura cōfortata expellit hunc humorem malum, & corruptum ad exteriora, & cum mouetur natura ad hanc expulsionem excitatur pro maiori parte febris, & quæ seq. Causa autem quæ subiectum dicitur, est materia quæ ebullit, atque putrescit, ex qua accenditur febris, & quæ expellitur, & expulsa cutim in pustulas subleuat, ipsamq; erodit. Reliquiæ sunt menstrui sanguinis ex quo in utero alebatur infans, & subinde in membrorum porositatibus, & in venis reseruatæ, vt tenet Haly abb. lib. 8. suæ theoricæ cap. 14. vbi sic ad uerbum inquit. Fætus namque in matrice sanguine pascitur menstruo, qui superfluitas quædam est corporis mulieris, quem natura ab hepate per uenas ad matricem expellit, quemadmodum alio diximus loco, & paucis interpositis inquit. Fætus itaque ex meliori pascitur, & eo ipsius nutriuntur membra: reliquumque quod est

in eius

menstruus sanguis cā Variolar

in eius remanet membris & uenis. Idem asseuerauit Auic. cit. sup. loco. Idem quoque Auenzoar lib. 3. tr. 3. cap. 4. vbi perpulchre ostendit qualiter fætus, nutriatur ex bono sanguine menstruo, nihilominus illius prauitatis portio reseruatur in membris ipsius fętus; deinceps subdit inquiens. Post exitum ipsius ab utero infans nutritur, & coadunatur naturalis calor in ipso, & natura eius augmentatur, & confortatur, & conatur digerere, & subtiliare prædictũ humorem malum, atque nociuum, & ipsum exterius expellere, & quæ seq. hoc idem Auuerr. sentijt in suo 3. colliget cap. 8. Præterea quod fætus, ut plurimum uitioso sanguine nutriatur, extat Gal. placitum in suo 1. de simpt. caus. cap. 7. ubi inquit, Hoc autem auctius redditum tùm ipsum ampliore nutrimento utitur, tùm non solum quicquid in uenis optimum est, id trahit, ceu prius dixi, sed etiam qui plus indigeat eius quod vitiosum est, aliquando vnà trahit. Hac morbi istius supposita causa ambiguitas oritur eaq; non leuis. Non desunt namque inter recentiores ptæcipue qui de hoc morbo pertractantes, sicuti nouum esse statuant, nouam quoque eiusdem causam, atque à ceterorum diuersam sententiam afferant. Dicunt namque eiusmodi morbum tunc oriri cepisse, cùm cæli uitio, uel aeris nequitia tempestate quadam eiusmodi labes hominibus comuniter impertita fuit, vnde si omnes qui ab illis, qui tunc temporis ægrotarunt, successiue orti fuere, proprietatem contraxere ex semine, quam & nati natorum, & qui nascentur ab illis,

ab illis contractam habuisse, & in posterum etiam successiue habituros existimãt. De tẽpore quo idem morbus suboriri ceperit, eo tempore dicunt & illo sub æuo, quo authorum Arabum qui de hoc morbo scripta prodidere, scola vigebat, & non antea. Verum hæc illorum opinio multis conuincitur, tùm rationibus, tùm etiam authoritatibus: quod à me dictum eorum pace veritatis indagandæ studio potius, quam cauillandi, ab eis recipiatur. Peruestiganda enim est variolarum, & morbillorum præcipua causa, quæ in singulis hominibus comperiatur ob quam singuli, homines hoc morbo apprehenduntur, siquidem morbi qui comuniter cunctos homines apprendit comunis quoque debeat esse causa. At de proprietate quam ipsi dicunt à patris semine fuisse contractam sic dicẽdum videtur, videlicet, Quod proprietas hæc perperam variolarum, & morbillorum causa statuitur, cum absque hac à principio subortũ fuisse hunc morbum statuant, à quo primi illi correpti fuere homines his tantummodo concurrentibus causis, videlicet aeris vitiũ, uel cæli nequitia, & ichores in ipsorum corporibus scatentes. Præterea sic dicitur, quòd cum nouus hic morbus, vt dicunt, surrexit, dubio procul nõ omnes homines apprehẽdit, & nõ omnes ægrotarunt, sed eorum aliqui illęsi perstiterunt, quod minime ab eis negandum uenit, alioquin vt ostendit Gal. in 1. de diff. feb. cap. 4. & Haly abb. 1. suæ theoriæ cap. 11. sequeretur quòd omnes sub æstiuo sole ægrotarent, & in pestilentijs morerentur, quod

tanquam

tanquam abſurdum concludit Gal. vt deſtruat illud ex quo ſequitur. Si ſic igitur eſt, quod in peſtilentijs & aeris, vel cæli uitio non omnes homines ægrotant, neceſſario concludi poterit, quòd non omnes homines tunc temporis ægrotauerint, nec ſubinde omnes homines proprietatem illam ex ſemine patris cõtraxerint, & nihilominus hoc morbo omnes corripiantur, ſequitur quod proprietas hæc tanquam fruſtatoria, & minime neceſſaria ad uariolarum, & morbillorum morbum procreandum concurrat. Neque aeris inſuper uel cæli vitium uariolarum, & morbillorum præcipue ea cauſa dici poterit, ut ex dictis authoritatibus conſtat, & quemmadmodum aptiſſime oſtendit Auerroes in ſuo 3. colliget cap. 8. vbi de variolarum cauſa pertractans inquit. Et non poteſt dici ut fiant à cauſis extrinſecis, quia illæ non ſunt neceſſariæ in omni homine. Vt ſinguli homines in qualibet tempeſtate ab eodem morbo minime capiantur cauſam reddit Gal. in 1. de morb. vulg. in principio inquiens: Quoniam ſanè non parum diſtant ad inuicem corpora per connatas naturas, per ætates, & per varias viuendi formas. Haly abb. vero hoc idem aſſerens inquit in 1. ſuæ prac. regalis diſp. Diximus quòd peſtilentiales morbi nõ accidunt omnibus hominibus, immo quæ fiunt paſſiones à complexionis aeris mutatione in eorum corporibus inueniuntur, quorum complexio conſonat complexioni aeris in eo tempore. Et quæ fiunt à mutatione ſubſtantiæ mali aeris, tunc temporis parati ad ſuſcipiendas has paſſio-

passiones, & morbos quos prauus aer inducit. Concludendum est recte igitur, quòd causa ea, quæ aeris, vel cæli vitio oritur minime potens sit, cùm per se sola neminem ledat in alia cõcurrat causa, quæ aptitudo dicitur ad patiendum ut Gal. attestatur cit. lib. de dif. feb. cap. 4. inquiens, quòd nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest, cui sententiæ se subscripsit Haly Abbas lib. 5. suæ theoricæ cap. 11. Quæ vero aptitudo sit quæ corpora ad patiẽdum disponit Gal. sub exemplo ostendit cit. loco inquiens, supponatur igitur vt in exemplis in ambiente quidem aere nonnulla pestilentiæ semina contineri, ac ea corpora, quæ ab ipso continguntur nonnulla quidem esse varijs superfluitatibus plena iam ex se ipsis ad putrescendum paratis, & hæc ad patiendum habilitatem habẽt, quæ habilitas est superfluitatum abundantia. Deinceps Gal. quę habilitatem non habent ostendit inquiens. Nonnulla autem pura, atque inutili materia carentia & hæc habilitatem ad patiẽdum non habent. His positis puris, & impuris corporibus deinceps idem Gal. inquit. Cogita quomodo vtraque corpora affici sit necessarium ab eo quem inspirant aere putredinoso. An non rationabile est inquit ille, illa quidem statim à prima inspiratione principium putredinis sumere, ac plurimũ in malo procedere? quæcunque autem munda sunt, & superfluitatibus carent nonnulla nihil mali sentire, nonnulla uero minimum, ita ut ad naturalem habitum facile habeant regressum? Deinceps vt id confirmet am-

plius quod exemplo oſtendidit rurſus oſtendens inquit. Sic, & cum aeris temperamenta à naturali habitu ad caliditatem atque humiditatem fuerit immodice conuerſa, peſtilentes quidem oriri morbos eſt neceſſarium, plurimum verò eiſdem laborare quicunque fuerint ſuperflua pleni humiditate, quemmadmodum qui moderatis laboribus ſe exponit, ac victu vtitur moderato in omnibus eiuſcemodi diſpoſitionibus nullam omnino ſentit offenſionem. In primo de morbis vulgaribus in principio hoc idem aſſerens inquit. Cur igitur in vnaquaque tempeſtate non omnes eodem morbo capiuntur? quoniam ſanè non parum ad inuicem diſtant corpora per connatas naturas, per ætates et per varias viuendi formas. Cum igitur ampla ſit ſanorum hominum latitudo, ſub qua eorum corpora ad inuicem per dictas rationes plurimum diſtent illi tantum aeris vel cæli uitio patiuntur, qui aptitudinem ad patiendum cõtinent. Aptitudinem verò in ſe continent, quorum corpora excremẽtis redundant. Illi verò aptitudinem hanc ad patiendum non habent, quorum corpora excrementis vacant. De his Haly Abb. loquens inquit lib. 5. ſuæ theoricæ cap. 11. Eorum etenim complexio mali aeris complexionem exuperat, eiuſque frangit inimicitias. Et Gal. de ijſdem loquens in 1. de diff. feb. cap. 3. inquit. Et qui boni ſunt habitus, ac bene difflantur, & quieſcunt, & ventriculum, atque hepar calefaciunt, his febrire eſt impoſſibile: nam in eiſdem reſidet ventriculi, atque hepatis partibus quod-

cunque

cunque corruptum eſt, ac paulatim per tempus coquitur, atque optimum fit. Cum itaque excrementorum redundantia in corporibus habilitatem, vel aptitudinem præſtet ijs ad patiendum, duplexque in corporibus noſtris excrementi genus reperiatur, vnũ videlicet quod ciborum eſum, & potionem conſequitur authore Gal. 1. de ſanit. tu. cap. 4. Aliud verò ex vtero matris vnuſquiſque deferat, videlicet ſanguinis illius menſtrui reliquiæ, ex quo altus in vtero fuit, & ſubinde in membrorum poroſitatibus, & in venis reſeruatæ. Primum excrementorum genus in ijs tantum redundans reperitur, qui in cibo, & potu, atque in cæteris ſex rebus non naturalibus tanquam intemperantes delinquunt, & ipſarum debitum regimen minime ſeruant. Non reperitur autem in ijs qui boni ſunt habitus, & circa res ipſas probè ſe gerentes debitum regimen ſeruant, quos Haly abb. ſtudioſos dominos ſuæ ſanitatis appellat in ſua regali diſpoſ. cit. nuper loco. Hoc aliud vero in ſingulis ortis hominibus, & adhuc non ortis reperitur, cuilibet ſiquidem tùm generationis, tùm nutritionis, tùm augmẽti vnum ex primordijs extitit. Exponendum idcirco venit, quòd ex dictis excrementorum genus vniuerſalis ea cauſa ſit, vt vniuerſalis hic variolarum, & morbillorũ morbus cunctis hominibus ſua vice impertiatur. Et in primis duo ſupponenda ſunt, quæ tanquam requiſitæ cõditiones tùm variolarum, tùm morbillorum morbo, tùm etiam eius cauſæ debentur. Vnum eſt quod ſicuti morbus hic ſingulos ho-

Bis etiã Variolę adueniunt

mines apprendit, ita & eius causa in singulis reperiri debet. Secundum vero est, quòd quemmadmodum morbo huic proprium est semel tantum quemlibet tentare, vel bis ad summum, quoniam materia praua à morbo prima uice ex toto dissipata non fuerit, ita & causa eiusdem morbi talis debet esse naturæ, vt semel à natura depulsa, & à primo morbo dissipata denuo repullulare nõ valeat, nec amplius morbũ ipsum excitare. His suppositis primo an ad excrementa illa quæ à dictis recentioribus Ichores dicuntur, atque sanguinis pars subtilior, atque crudior sit causa ipsa referenda, vel potius ad aliud excrementi genus, vt Arabes tradunt videlicet ad mẽstrui sanguinis recrementa, vel eorumdem ichores. Ichores dicunt esse partes subtiliores, atque crudiores sanguinis. Si sic ichores intelligant, morbillorum causam neutiquam attingere videntur cũ potius ex feruescente bile mor billi procreentur, minime vero à crudo humore, qui sua natura frigidus dicitur, vt optima ratione conijcitur, & ut per Gal. verba colligitur 1. de alim. facul. cap. 2. pituitæ siquidem potiusquam alterius succi crudus ichor naturam redolet. Præterea non facile recipitur, quòd uariolarum pustulæ ex subtiliori parte sanguinis procreentur, vt in quibus crassior materia subesse videatur, quæ eas in tumorem attollit, & cum præcipue ijs disruptis, vel perforatis crassus, glutinosusque, & lentore non expers sanies uel ichor emanet; cauaq; & indelebilia pustularum ipsarum quælibet ex se relinquere soleat. Dicent fortasse non

de cru-

de cruditate ea dictum intelligendum esse, quæ alimentorum coctioni opponitur, quæ fit in ventriculo, in hepate, & venis, sed de cruditate ea dictum intelligi debeat, quæ generali magis sensu dicitur de vitiosis illis humoribus, qui cum à natura adhuc euicti non fuerint, crudi idcirco dicuntur, cocti autem tunc dicuntur, cum à natura euicti præparatiq; fuerint, Si ita igitur ichorum cruditas intelligi debeat, cum quilibet humor ichorem sibi proportionatum, & naturæ suæ non absimilem in se contineat, vt Gal. asserit lib. 6. epidemiarum commentario 2. com. 37. possunt idcirco ichores ab vnoquoque ex quatuor humoribus emanare, vt cit. loco legitur. tùm ex Platonis, tùm ex Hip. decreto, & præcipue de ijs qui ex bile diffluunt de quibus Gal. Hip. verba in 2. epid. prolata cit. sup. loco refert, vbi inquit. Et sub cute ichores creabantur, inclusi autem calescebant, & quæ sequuntur. Quamuis tamen in hoc significatu recipiátur, nihilominus neque ichores ipsi, neque humores à quibus defluunt causam esse possunt, quam disquirimus nisi ex menstruo dicto sanguine ichores ipsi fuerint emanati, vt infra ostendetur. Quod humorum abundantia, quæ ex indebito victus regimine in corporibus cumulatur, vel eorundem humorum ichores causam esse non valeát morbi illius qui singulos homines apprehédit, hoc notius est, quàm vt à me ostendatur, quandoquidem non omnes homines superfluitatibus se replent, nec pariter eorum corpora recrementis scatent, sed aliqua magis, aliqua minus,

nonnulla verò excrementis vacant, & munda dicuntur cum authore Gal. cit. loco distent inuicem corpora per connatas naturas, per ætates, & per varias uiuēdi formas. In illorum namque corporibus abundant excremēta, qui in debito regimine delinquunt, & præcipue in cibo, & potu. Excrementis verò vacant illorum corpora, qui in cibo & potu atque in cæteris rebus nō naturalibus probe se gerunt, & optimo regimine vtuntur & idcirco boni sunt habitus. Cum igitur eiusmodi superuacaneorum abundantia, vel plenitudo in singulis corporibus minime reperiatur ob id neque aptitudo, neque proprietas dici poterit, quæ comuniter in omnibus hominibus insit, vt inesse oportet in ijs qui variolarum, & morbillorum morbo corripiuntur, secus namque, & qui boni sunt habitus, & quorum corpora ijs excrementis vacant, & qui in victus ratione optime se gerunt, vel infantes sint recenter nati sub selecta, accuratissimaq; nutrice, vel ablactati, & sub alio eiusmodi curam gerente educati, nihilominus cùm nullus hunc morbum effugere valeat, sed ipsi quoque ægrotare debeant, sequitur idcirco quòd absque aptitudine ea, quam necessariò ad patiendum concurrere vult Gal. & absque proprietate quam ponit Auicennas, nihilominus ipsi ægrotarent; quandoquidem maiorum dictis repugnaret, cùm idem Gal. dicat. Quandoquidem nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest. Et Auicennas dixerit agens validum cum peruenerit, & non adsit patientis præparatio nō

fit actio,

fit actio, neque passio: At cum absurdum sit à maiorum assertationibus recedere, planumq; sit, & apud omnes confessum, quod inter omnes homines, vbicumque corpora dantur pura, & superfluitatibus carentia, nec non alia impura, & superfluitatibus minime carentia, cum ampla satis sit sanitatis latitudo. Et quod superfluitatibus scatēt eorum corpora, qui malo indebitoq; victus regimine vtuntur, sicut illorum corpora munda sunt, & superfluitatibus carent, qui debitum in sex rebus non naturalibus regimen seruant, & domini studiosi sunt in custodia suæ sanitatis, vt inquit Haly. abb. omnes tamen hoc variolarum, & morbillorum apprendi contingat, alia idcirco perquirenda causa erit, quæ cunctis hominibus comunis sit, postquam excrementorum dicta plenitudo cum in cunctis comuniter hominibus minime reperiatur, omnes tamen hoc morbo ægrotant, si ab alio aliquo præueniente prius non enecentur. Sed tandem, vt absque contradictione aliqua agnoscant qui secus tenent, quòd neque excrementorum prouentus, neque eorundem ichores minime causam esse, ut singuli homines variolarum, & morbillorum morbo apprendantur, dicant ipsi quæ excrementorum abundantia, uel ichorum in nuper natis infantibus reperiri potest, præter sanguinis menstrui recrementa, vel ipsius sanguinis ichores? & nihilominus ab hoc morbo apprehenduntur. Amplius quid de infantibus ijs dicent, qui hac labe coinquinati ex matris vtero exijsse visi fuere? vt clarissimus Ambianus

notauit. Non alia igitur quæ cunctis comunis ſit cauſa venari, reperirique unquam, & à nemine poterit, quàm menſtrui ſanguinis reliquiæ in quolibet orto infante, & qui adhuc oritur reſeruatæ: vt recte Arabes ſenſerunt. & hæc de materiali cauſa, quæ ſubiectum dicitur, cauſa vero prauam hanc relinquiarum materiam à probo ſanguine ſeparans eſt ebullitio, ebullitionis, atque putredinis cauſa eſt attracti aeris vitium, vel craſſities ac humorum lentor, vel eorundem copia obſtruens, & prohibita tranſpiratione ebullitionem, atque putredinem excitans. prauam ipſam ſeparatam materiam expellens cauſa eſt natura ipſa excretricis ope. Finalis cauſa eſt à praua menſium reliquiarum materia ſanguinis repurgatio. Formalis vero eſt materiæ illius ebullitio, atque putredo, & ex ea puſtularum in cute effloreſcentia; & hæc de cauſis. Quod inſuper antiquorum æuo notus hic variolarum, & morbillorum morbus fuerit patet non modo apud Arabes, ſed etiam apud Græcos. Diuinus ille ſenex in ſuo 1. epid. commentario 1. tex. 38. & 4. de hoc meminit morbo, nec non lib. 4. eiuſdem operis ſub nomine εντίμαπτ, ac etiam li. 6. eiuſdem operis, & etiam lib. 7. tex. 94. vbi hiſtoriam tractat, ac enarrat filij Timonacti duos menſes agentis, & hoc morbo correpti. Inter Arabes verò Auic. Haly abb. Raſis, Moſes, Auenzoar, & alij. Quod ſub æuo iam dictorum autorum, & apud ipſos non nouus morbus, ſed antiquus reputaretur, Teſtis eſt Haly abbas, qui in regali ſua diſpoſitione lib. 8. practicæ cap. 14.

vbi de hoc morbo pertractans inquit. Quam antiqui dixerunt carbones adustos, Græci autem filias ignis vocarunt. His ita discussis, & enarratis causis ad signa tandem accedamus. Signa variolarum, & morbillorum exitum præcedentia, & quæ significant eas de proximo erupturas, vel pustulas apparere hæc precedunt, videlicet febris de genere sinocharum, capitis dolor, oculorum rubedo, & illacrimatio, tussicula, narium pruritus, pandiculationes crebræ, vniuersi corporis punctiones, & tremores, concussiuiq; motus, pauores in somno; Vbi vero iam apparuerint, capitis grauitas, tumet facies, clauduntur oculi, tumet quoque vniuersum corpus, si variolæ fuerint, atque deforme redditur, albescunt subinde pustulæ, & in fætentes crustulas effusa sanie desiccantur. Præterea sequitur raucedo uocis, & spiritus difficultas, si asperæ arteriæ, uel pulmonum partes hac labe fuerint affectæ, & disenteria subsequitur si intestina exulcerauerint pustulæ, & si fauces deglutitio impeditur. hæc de signis. Tunc salubris euentus erit, vt de prædictione agamus, cum febris antecedat non valida, & si dum pustulæ exeunt imminuatur febris, si celeriter efflorescant, citoque maturentur, & si paucæ sint, & decēter eleuentur. Morbillorum vero salubris erit euentus, si non admodum sit intensa febris, & materia decenter expellatur, citoq; digeri incipiat. Perniciosus vero iudicabitur, si plurimæ sint pustulæ, & inter eas vel cineritio, uel nigro colore ex ijs aliquæ apparuerint, & eo magis si plures sic scatere videantur, &

Signa Variolarum, et morbillorum

Prognostica

tur, & si plures simul cohereant, & decenter non eleuentur, & si eleuatæ fuerint, antequam maturescant depressæ videantur, quod in variolis perniciosum valde est signum, cum quo nullum fere euadere vnquam vidimus, & eò magis si intensa febris prosequatur, si raucedo adsit, si spirandi difficultas superuenerit cum sicca tussi, si intestinorum tormina, & disenteria, hæc namque intestina, illa vero pulmones, & asperam arteriã affectas partes esse indicia planè ostẽdent, & sæuissimum esse atque pernecabilem morbum, & hæc de prædictione. Curatio iam genito variolarum, & morbillorum morbo debetur, sed imminentis, vel futuri præseruationem moliri perperam profecto videtur, & in ijs præcipue, qui morbum hunc semel experti adhuc non fuerint. Primo quia cum eiuscemodi variolarum, & morbillorum efflorescentia naturæ sit expulsio, vt fere autores omnes fatentur, & præcipue Arabum omnium scola, ac etiam quia naturæ opera cum præsertim sibi noxia impedire non valeamus, neque etiam valentes deberemus, hac etiam ratione, quia aeris inclementia in tempestate aliqua non nisi difficulter euitari possit, cum tùm respirare non valeamus, ac subinde quia in infantibus præcipue, quæ in eis reseruatæ sunt menstrui sanguinis reliquiæ à natura tantum, ab arte minime euacuari valeant, vt in plurimis obseruatum fuit, quibus ob alterius prægressi morbi curationem per pharmacum, ac nonnullis etiam per venæ sectionem euacuatio facta fuit, nihilominus ne-

que ab

que ab ipſa euacuatione, neque ab ipſo morbo diſſolutæ menſtrui illius ſanguinis reliquiæ vnquã fuere, ſed in aliud tempus eiuſcemodi morbi tentati fuere, & à natura ipſa, depulſa praua materia ab hoc morbo poſtea correpti euaſerũt. Nihilominus vt in aliud tempus tardetur, vel mitis atque ſaluber magis ſit futurus, vel imminens hic morbus, & à maiori eius putredine, ualidiſque febribus quiſque præſeruetur, debito victus regimine utendum erit, ut perpetuo obſeruari debet. Primum aer cum coinquinatus fuerit, & ad hanc labem excitandam propenſus quo maxime poterit euitandus erit, & in ſalubriorem commutandus. Cauendus eſt quilibet ipſius aeris exceſſus, & præcipue calidioris, uel humidioris, qui ſi à præſenti tunc cæli ſtatu talis, & non aliter condonetur, uel ſub temperato magis, & clementiori cælo ſe transferent, uel arte moderandus erit, ut Gal. monet lib. 9. methodi cap. 14. ut qualis exigitur talis reddatur, ex quo idem Gal. inquit domus ſeligendæ ſunt quæ ex ipſis eas præſtent qualitates, quæ in ſalubris aeris qualitatibus aduerſantur, uel arte noſtra parari debent. Primo igitur ſelectis ædibus ut exigitur, curandum erit ut feneſtræ quæ ſeptentrionem reſpiciunt apertæ teneantur, vt borealibus, & aquiloniis ventis aer ambiens in ædibus repurgetur, frigidamq́;, ac ſiccam temperiem acquirat, ad frigiditatẽ nihilominus moderate vergat, & minime excedat, ne poros condẽſet, uel intus repellat. Quæ uero auſtrum inſpiciunt, occluſæ omnes teneantur, & ut ambiens aer clemens

magis,

magis, atque gratus reddatur, si aeris qualitas ad calidum nimis uersa fuerit ædes leuiter aceto rosato, & aqua lampha irrorandæ erunt, & gratæ redolentibus floribus, & frondibus inspergendæ vt rosis, violis, arranciorum floribus, gelsiminis, & virgultis similibus, modo aeris moderata frigiditas non excedatur dictis iam de causis. Si verò ad humiditatem nimiam versa fuerit aeris ambientis temperatura, ignes in ædibus, vel prope ędes in quibus pueri morantur redolentibus, & suauiter odoratis incendantur ignes, & propius incendantur si hiems fuerit, vt cum lauro, cupresso, pino, iunipero, & eiusmodi alijs. vel odorata fiant suffamigia vt ex rosis, lauandulis, storace, isopo, maiorana, gariofillis, & similibus, & nutrix domi se contineat, nec vbi sunt ægri accedere non audeat. Arte sic paratis ædibus, ac prout exigitur contemperato ipsarum ambiente quo cibo nutriri debeant, & quo potu, à suo fonte sic seligendum erit; Cibus si infans sit lactens sit lac sanæ, selectæq; nutricis. Eius nutricis verò cibi sint in actiuis qualitatibus attemperati, & boni chimi, coctuq; faciles, & qui eleganter alãt, vt in suo loco de seruanda sanitate est dictum; hoc tamen curare debet, vt exiccanti aliqua moderata facultate non sint penitus expertes. In potu verò vtantur vino paucifero, & decenter diluto sic in præseruãdo: in curando vero uitentur ab ipsa nutrice excrementa singula cibaria, atque calidiores carnes, & dulciora alimenta. Si vero ablactatus sic puer, eius cibus sit panis decoctus, vel stuphatus in iure parui pulli abiecto

magna

magna ex parte iure in quo efferbuerit, vel maceratus fuerit panis. Poterit quoque eis exhibere ferculum ex luteo oui, & pauco succo limonum, vel agrestæ, & panis lotus quandoque poterit, quandoque oua recentia sorbilia ipsis exhibere, & si ex magis adultis fuerit nõnihil ex laudabilioribus carnibus eis exhiberi poterit, in quibus oxalida folia aliqua fuerint incocta. Poterit quoque eis exhiberi ferculum quandoque ex farina ordei in furno præparata, quod ferculum ex iure paruæ pullæ confecti, ac melle sale pauco condiri poterit, poterunt quoque passulis vti, & tandem cum victus moderamine regantur, qui ad siccum moderate vergat, & nimiam societatẽ vitent. tùm lactentes infantes nutricis regimine, tùm etiam qui iam ablactati fuerint, & hæc de regimine eorum qui à variolis, & morbillis pueros præseruare studebunt. Ambiguitati cuidam quæ per obiectionem quorundam excitari posset, responsionem modo afferre abs re non fuerit. Diximus quod in præseruando pueros ab imminenti variollarum, & morbillorũ morbo victus ratio ad exiccantem moderate vergere debet, quod quidẽ Gal. verbis repugnare videtur, quandoquidem in primo de sanitate tuenda cap. 7. Gal. inquit: Haudquaquam itaque siccandi sunt pueri, si modo in his nulla præter naturã humiditas subest, qualis in raucedine & quæ sequuntur. Hipp. nec non 1. aph. 16. idem peruulgauit inquiens. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & alijs qui tali victu uti consueuere, qui-

Obiectio

bus

bus verbis monet Hip. quòd neque ratione temperamenti, neque ratione consuetudinis pueri nequaquam sunt humectandi, quod Gal. in commento attestatur inquiens, oportet enim naturam eorum fouere per humida non eodem quo morbos modo demoliri. Obiectioni sic responderi potest, quòd quam quam de præseruatione agatur, quæ præseruatio sani tatem supponit, quæ similibus seruanda est, nihilominus cum aeris temperatura ad immodicam humiditatem versa fuerit, & ob excessum in humidis corporibus vereatur, vt sanitatis latitudo ad morbum iam prope accedat, & idcirco de imminenti eo morbo inter pueros præsertim vereatur, vt Haly abb. inquit, ob id artis curatiuę caput neutiquam ignorare debemus vt idem Gal. 1. aph. cit. loco, sed sciendum est quòd anteuertit Hip. doctrinam, qua nos docet, quod quæcũque morbis præsentibus recte peragũtur, aut incipiẽtibus, aut imminentibus præuertenda esse vt Gal. asseuerauit nos monens in suo de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 9. Hac de re igitur quia si morbus iam præsens esset, non similia, sed contraria exposceret, vt idem Gal. docet cit. primo de sanitate tuenda cap. 7. idcirco ipso imminente non esse vltra pueros humectandos, sed potius exiccãdos iam satis constat, & sic in cęteris rebus non naturalibus dictis. Somnus sit moderatus, & pro consuetudine; reliqua verò vt de seruanda sanitate suo loco dicitur, ita regãtur, & hæc de præseruatione. Curatio vero iam correptorum sic fiat. Aer talis seligi, vel parari debet, vt

de

Resp.ᵃ

Curatio

de præſeruatione eſt dictum. Cibi vero & potus ſi infantes fuerint adhuc lactentes non alius ſic quam optimum lac à ſana, ſelectaq; nutrice ſumptum, quæ nutrix probe ſe gerat in ſex rerum non naturalium vſu. Aere fruatur quem infanti conuenire dixi, In cibo verò, & potu, & cæteris ſe gerat, vt ſupra de præſeruatione diximus prætèrquā quod donec morbus ſtatum pertrāſierit à carne, & vino ſe abſtinere debēt, & præcipue à carne pulli donec febris omnino ſedata fuerit, & corticis ceciderint, & calor recedat inquit Haly abbas, & vti pane in iure laudabilium carnium paruæ pullæ, ouis recētibus ſorbilibus, ptiſana ordeacea, lentibus bis coctis, paſſulis corinthiadis, caricis, pinguioribus, dactilis, potus ſit aqua cinamomo caricis decocta, & ſic à carne, & vino abſtineat donec maturæ fuerint variolarum puſtulæ, & quouſq; morbilli per halitum digeſti fuerint. Si verò ablactatus ſic puer ferculum ei exhibeatur ex iure paruæ pullæ in quo efferbuerint oxalidæ folia in quo vel ferueat panis, vel maceretur, prout puello magis fuerit accomodum. Poterit quoque parari ferculum ex eodem iure cum oui recentis luteo, & ſucco limonum, vel aranciorum, vel granatorum muzorum, poterit quoque ferculum parari ex ordei farina in clibano potius prius excocta, atque decenter exiccata, quæ iocunditatis gratia melle parum cocto poſſet dulcorari, quēmadmodum cætera cibaria condiri laudauit Paulus Aegineta, & præcipue pro ciēda aluo, ſed hoc improbatur ab Auenzoar cum dicat, quòd cum puer adhuc

eſſet,

essent,& variolarum morbo ęgrotaret absente eius patre, & quorundam consilio mel accepisse ex quo detrimẽtum adeo recepit, quòd mirum fuerit, quòd ab ipso morbo euaserit,& idcirco de melle toto vitę suæ tempore recordatum fuisse, ne facile igitur assumptũ mel in bilem uertatur, & eius bilis putredine intestina abradere ualeat, in morbillis præcipue ab eo abstinere, & potius ferculum ipsum cum pauco zaccaro dulcoratum succo limonum,uel aranciorum nonnihil admiscerem:sed in ualeolis in quibus adstricta foret aluus pauco melle in ipso uterer. Poterit quoque aliquando puello buccella panis loti cum aceto, uel succo limonum,uel aranciorum, uel granatorũ conspersо. Potus sit uel aqua pauco cinamomo decocta, uel aqua ordei, & cum ipsa aqua pulli stillaticium. Potus quoque conueniens erit aqua capillorum ueneris, cicerbitæ, lẽtium excorticatarum biscoctarum balneo mariæ destillata,& ipsarum quęlibet maxime fuerit accomoda: Vinum autem eis protinus interdicatur donec maturæ fuerint uariolarum pustulæ, uel morbillorum euanuerint. Somnus & uigilia utrumque moderatum sit,& ex consuetudine. Quies seruanda potius est,& corporis labor,uel agitatio euitãda,ac prohibenda ne ebullitio magis seuiat. Si aluus adstricta nimis fuerit, melle utere aliqualiter cocto cum quo lactentis pueri lingua iblinatur, uel nutrix sui uberis papilla, & infantis ori indatur si uariolæ sint, & non morbilli quicquid dicat Auenzoar. Poterit etiam nutrix pruna damascena iure incocta comedere

Potus

Vino ... ueniente ...

medere zaccaro aliquantisper dulcorata, necnō passulas corinthiadas, & ficus pinguiores, & iura in quibus incocta fuerit superbibat. Quod si sic aluus nō egerat infantis vmbilicus taurino felle inungi poterit. Qđ si minus ciatur aluus, poterit pinna galinacea in sūmitate butiro, vel oleo peruncta, ipsaq; summitate cōtorta in anum intermitti balani vice. Si vero ablactatus sit puer, & grādiusculus sit, & ex dictorū præsidiorū vsu venter nihilominus ciatur, poterit enema sic parari,

Rec. aquæ borrę, vel iuris gallinacei vnc. vj.

Olei rosati omphacini vnc. j. s.

Zaccari rubei, vnc. s. misce fiat enema quo intestina abluātur. Ira & excādescētia caueatur ex qua sanguis, & bilis magis inde ferueāt, & simptomata augeātur; quo pacto id cauere debeat Gal. docet 1. de sanit. tu. ca. 8. inquiēs fiet hoc prebito qđ expetit, & sublato qđ offendit: Et si ex lactētibus sit. Nutrix quoque animi molestias summopere caueat sed hilaris sit, & vocis modulamine, ac cātilenis, & papilla vberis ori indita infantis dolorem, & quamcunque molestiā lenire studeat, & ita rōne victus prouidendum erit, medicamentis verò vt infra. Confortanda est, & roborāda natura, vt eius principalia membra, & cor præcipue, & est hic principalissimus scopus. Secundus est variolarum, & morbillorum ichores, & labem ab intimis ad extimas partes cutaneas depellere. Primo scopo hucusque ratione victus præscripta prospeximus: Secundo verò medicamentis prospiciendū fuerit simul

Q ac

ac naturam adiuuando, vt prauam materiã ad cutim propellere valeat, quod quibus agendum ſit Haly Abb.& Auicen. docuerunt ſic, videlicet

Rec. ficuum citrinarum dr.vij.
Lentium decorticatarum dr.iij.
Lacce ablutæ
Dragantis dr.ij.s.
Sem.fœniculi dr.ij.decoque in lib.j.s. aquæ ferueat ad tertias conſumptionem, percoletur, & de hac in potu exhibeatur, vt ætas conſentiet, vel ſic

Rec.lentiũ ſemicoct.& abiecta prima aqua vnc.ij.
Caricarum pinguium nu.ij.
Semin.fæniculi dr.iij.
Capill.veneris m.s. Fiat decoctio ad tertias,de qua puero exhibeatur in mane ieiuno ſtomaco,nec nõ in ſero parum pro vice per hæc namq; medicaméta attenuatur ſanguis obſtructa aperiũtur, & febrilis calor a partibus cordis,& variolarũ, & morbillorũ materia ad cutim propellitur, vt author eſt Auic. cit.loc. ſi vero ex lactentibus ſit infans,decocti eius modi eius nutrici exhibeatur ciathus,ac ẽt in ſero, per tres vel quatuor horas ante cęnã; & ſi grandiuſculus fuerit infans ipſi nec nõ exhiberi poterit coclear vnũ ad ſorbendũ in mane priuſquã lactetur, & ſic proſequatur quouſque praua illa materia ad cutim propulſa fuerit, & albeſcere puſtulæ incipiãt. Sed quia multoties cõtingit oris partes,& aſperã arteriã,nec nõ pulmones hac labe tẽtari,& quãdoque inteſtina,& præcipue cũ malũ

Topica med.ca

altius

altius ſerpit, vel cum iam efflorescentes puſtulæ retro cedentes deliteſcunt, & intus remeantes intimas eas partes labefactãt, ob quam labem intus ſæuientẽ miſellis infantibus inteſtinorũ ſeuiſſimi cruciatus cõtingunt, & ſpiritalibus partibus hac labe ſcatentibus anhelatione inhibita miſere ſuffocantur. Plerunq; etiam oculos praua hæc materia occupare ſolet, & puſtulas procreare quibus diſruptis ſub cornea pus colligitur, & vlcera adeo ſęuiunt, vt pure humoribus deturbatis & perfrictis mẽbranis, & indelebilib. cicatricib. deturpatis ſępius miſelli infantes obcecare ſolẽt. Omni ingenio igitur pręcauendũ eſt, atq; enixe curandũ, vt intimæ ipſæ partes quẽadmodũ, & oculi illęſæ pręſeruẽtur, oculis verò (antequã puſtulæ circa eos efflorescãt) ſic prouidendũ erit, vt crebro hoc linimẽto illinãtur. Pro oculis

Rec. aquæ roſarum

Prunorum an. vnc. j. s. quibus infunde

Sumach loti, & aliqualiter fracti dr. j. s.

Ligetur in petia linea munda, & in dictis aquis infuſa oculi ſæpe illinantur. vel ſic

Rec. albuminis oualis decenter infracti vnc. j.

Aquæ roſarum vnc. j. s.

Croci gr. j. in quibus aquis ſcutũ aureñ infundatur vt ex vſu apud Florẽtinas mulieres exiſtit, & hoc pręſidio ſępius oculi tãgantur ſimul ac illinãtur. Si oris partes, vel aſperã arteriam, & pulmones puſtulæ occupare cęperint, quòd viſu diſcerni poterit, & ſi gutturis, & aſperæ arteriæ lædantur ex vocis raucedine, & ſpiran- Pro gula, aspera arteria et pulmone

di difficultate conijcitur, tunc ſuccurratur ſic

Rec.diamoronis vnc.s.

Vini granatorum vnc.j.

Aquæ ordei

Aquæ plãtaginis an.vnc.vj.miſce fiat gargariſmus ijs qui adulti magis fuerint, quo ſæpe gargarizentur, minoribus verò digito nutricis oris partes illinantur, vel Nutrix ipſa vberis papilla hoc liniméto prius oblinita ori infantis indatur, vt ſimul cum lacte præſidium eiuſmodi in fauces, & aſperam arteriam lãbendò recipiat, quod erit ſecundum indigentiã reiterandum, vel ſic

Rec.vini granatorum

Diamoronis an.dr.ij.

Ordei ſufficienter decocti extractæ emulſionis tãtundem; miſce fiat miſtura qua vt ſupra eſt dictũ oris partes illinantur, & cum eadem vberis papilla oblinita infanti ad ſuggendum exhibeatur. Si verò inteſtina lædantur, & adſit fluxus alui tunc.

Pro intestinis

Rec. decoctionis plantaginis, armogloſſæ, burſæ paſtoris, verbaſci, balauſtiorum, roſarum, citoniorum, aliquando in aqua borra, vel currentis fluminis q.s.albuminis oualis cõfracti vn. s.miſce abluãtur inteſtina. Verũ antequã vlterius progrediamur, quęritur vtrũ pro minorãda praua materia, & ex parte inhibẽda antecedẽte cauſa ad ebullitionẽ putredinẽq; parata ſit ægris ſanguis mittẽdus nec ne, idcirco quibus, & qñ mittẽdus ſit, & quibus non mittendus

ratione

ratione expendamus. Si puer qui ægrotare hoc morbo cœperit iam ad annum proxime accedat, calidiq́;, ac humidi ſit temperamẽti latasq́; uenas habuerit, robuſtisq́; uiribus ſit p̃ditus, & cũ hoc plurib. recremẽtis abũdet, & idcirco intẽſa febre corripiatur, vt ex pulſu & vrinis ac faciei, oculorumq́; rubedine tunc dignoſci poterit, fueritq́; in ſecunda, vel ad ſummum in tertia die ſuæ ægritudinis, & antequam puſtulæ ſubortæ fuerint, morbi magnitudinem, & accidentium ſęuitiam verentes, vt noxia materia minoretur, & natura exoneret, cruribus applicandæ ſunt ſanguiſugæ, & pro tenore virtutis eſt ſanguis detrahendus, & pro ætatis ratione. Et Auicenna citato loco ſimiliter inquit. Et ſi phlobotometur vena naſi confert, & tuetur partes ſuperiores a malitia variolarum, & eſt magis facile inter infantes. At clariſſimus ille Paulus Aegineta optimus Galeni ſectator ſecus ſentire videtur cum 1. lib. cap. 6. dicat. Primum ſane nullum faceſcere negotium oportet vbi verò probè ad ſumma eruperint, tunc iam curare tentabimus, & quæ ſeq. Huic ſententiæ adhereo magis, & libentius ſubſcribo, quippe cum puerorum, & non adultorum curationem pertractemus. Cum enim ad exalandos ſuccos pueri maxime propenſi ſint, & ſatis habeant unde euacuentur autore Gal. Eis neque debetur ſanguinis miſſio, nec tolleratur: & adhuc minus requiritur cùm tam propter exuberãtem innatum calorem, tùm ob cutis raritatem pororumq́; latitudinẽ ſuapte

natura facillima sit eis excremẽtorum depulsio, & superuacaneorum euacuatio, & tunc præcipue cum ad eiusmodi expulsionem, seipsam iam accinctam esse putamus. Nihilominus cum Medicus artifex sit sensatus, à natura, & robore, nec nõ à magnitudine morbi illius qui ægrotabit indicationes mittendi sanguinem, vel contra indicantia Medicus tunc presens prosequi recte valebit, vt veteres præcipiunt, & hæc de mittendo sanguine. Interim dum albescere pustulæ ceperint opus id nature permittatur donec probe maturæ fuerint, & quæ maturæ se ostendẽt acu aureo perforentur, ita ut sanies extrahatur, cauendo tamen ne plures simul, & eodem tempore perforentur, sed paulatim illæ tantum pungantur, quæ mature magis apparebunt, postquã apertæ fuerint cum coto detergantur vsque dum saniem fundent. disruptis, vel perforatis pustulis, atque detersis, erunt deinceps saliẽdæ cum aspersione aquæ rosarum salitæ, vel sic

Perforatio variolarum, et quo modo

Rec. decocti tamarisci, rosarum, lentium q.s. saliatur decoctum cum quo detersæ pustule saliantur, hoc tamen cauendo ne illæ pustulæ saliantur, que de recẽti perforatæ fuerint ne dolor proritetur, quẽmadmodum neque aperiendæ, neque saliandæ sunt, que maturæ non fuerint, ne dolor siue apostema contingat, vt Auic. docet cit. pluries loco. Et si hiems fuerit proderit ut idem docet sindonem tamarisco suffumigare, & cum eo leniter puellum inuoluere. Verum si cũ difficultate pigræq; pustulæ maturentur docet idem

Auic.vt accipiatur tela rara, & consuatur admodum culcitræ, quæ postea impleatur farina rizi, milij ordei, fabarum, super quam dormiat puer, & si forte exulcerentur pustulæ, liniantur unguento albo cum caphora, vel vt maturescant fiat sic inter cætera medicamenta.

Rec. foliorum & radicum maluæ, caricarum pinguium an. q.s. fiat decoctio in simplici aqua, cum qua decoctione tepente cotone madefacto quæ immaturæ videbuntur contangantur, uel fiat sic

Rec. hidrelei ex præscripto decocto, & dulci amig. oleo parati q. suff. utatur ut supra. Hoc namque præsidium tùm ex se, tùm etiam ex accidenti supparabit quandoquidem quæcunque cõcoqui oportet occludi cõuenit, vt Hip. monuit lib. 6. epid. com. 2. tex. 24. quod paratum sic hidreleum optime pręstabit cũ lentore quodam expers non existat, cum quo cutis spiracula quæ in pueris transpirantia ualde sunt infarciat, atque obstruat, spiritumq́; ac calorem natiuum intus cohibeat, nec dissipari sinat, & præter hoc quod cutis spiracula suo lẽtore infarciat ex quo cohibitus intus calor se ipsum augescit, maturat, & pus ipsum efficit, & suo tẽperamento moderate calefacit, humectat, ac lenit. Et cum puerorum calor sit plurimus, & eorundem naturalis uis satis ualida, ualidiora alia præsidia paranda non videntur, sed vel in eius robore fidendũ vel in eisdem præscriptis persistendum.

Aduertentia necessaria

De delendis vestigijs variolarum.



PVSTVLARVM cauitates quæ ex praua materia per saniem euacuata relinquuntur ex quibus turpissimę, ac indelebiles cicatrices subsequuntur, impleri postulant Gal. autore 3. meth. cap. ij. vbi inquit omnis quæ præter naturam est cauitas impleri postulat. Quibus præsidijs id agendum sit idem Gal. cit. lib. ca. 3. docet inquiens. Et quod siccet, & qđ expurget. At quantum, & quo gradu exiccans, & quo detergens esse debeat idem cit. loc. ostendit inquiens. Cuius igitur ordinis erit medicamentum, quod carni producendæ sit aptum, quodq́; modice tùm siccare tùm detergere proposuimus? certe primi ordinis. Quippe quod super hunc fuerit, ita ut non modo humoris qui influit redundantiam consumit, sed etiam affluentem sanguinem ipsum populatur: id refici carnem ceu materiam eius absumens prohibebit. Qualia verò hæc sint medicamenta, quæ modice siccent, & quæ sic detergant. Idem Gal. eodem in loco recenset inquiens. Porrò talis ostensum est thus, & ordeaceam, & fabaceam farinam, & quæ seq. Vt igitur quę adsunt pustularum ulceratarum cauitates postquam a sanie uel sorde detersæ fuerint, & anteaquam in callū obducantur, & antea quam cicatrizentur, singulo mane cum detersæ cum gosipio uel cotone fuerint, uel

ſaliatæ cum iam dictis decoctis, ut ſupra præſcriptis, tunc temporis hoc præſidio utendum erit uidelicet

Rec. farinæ ordeaceæ, farinæ fabarum an.unc.s.

Thuris in tenuiſſimum pollinem redacti dr.j.

Lactis nutricis, mellis roſacei an. partes ęquales formetur linimentum, quo cauitates illę cum coto illinatur mane & ſero, ut ſupra dictum fuit, & cũ oportuerit ordeacea aqua facies abluatur, uel hoc alio ſarcotico.

Rec. far. fabarum, cicerum lentium decorticatarũ, ordei lupinorum an. dr.j.

Miſce de hoc puluere inſpergatur ſupra ulcerum cauitates ſemel in die, ſed prius nutricis lacte madefiant, & farina ſuperaſpergatur. Et ſi ulcera ipſa dolorosa eſſent, & dolore pueros infeſtaret tunc ſic

Rec. unguenti albi camphorati unc.j.

Pul. amidi

Litargiri an.unc.s. miſce cum hoc unguento illinatur quæ magis doloroſę, uel cruentæ apparebunt; poterit nec non hac aqua uti ut

Rec. amigd. amararum mundatarum

Lentium decorticatarum an. lib.j.

Mirrha unc.ij.

Ouorum lutea aſſata nu. 24.

Miſce inſtillentur ſimul, & cum extracta aqua coto intincto puſtularum cauitates illinantur; & hæc de ſarcoticis.

Vt cicatrix obducatur.



VLCERATARVM partium repletis cauitatibus ad epulotica medicamenta transeundum erit, quæ summam carnẽ siccent, atque conuenienter consolident vel obdurent ut sic

Rec. litargiri
Cerussæ an. dr.s.
Olei mirtillorum uel masticini unc.j.

Misce fiat unguentum quo faciei præsertim pustularum vestigia illinantur, sed prius uino rubro stiptico tepente madefiant in quo balaustria, rosæ, mirtilli efferbuerint; & hæc de epuloticis.

FINIS.



DE PRAVIS FEBRIBVS CVM PETICVLIS QVÆ ANNO MDXC. ET XCI. PER ITALIAM VAGARVNT

Epiſtola.

IACOBI TRVNCONII MEDICI AC PHILOSOPHI

Ad D. Iohannem Baptiſtam Adiunctium Burgenſem Medicum eruditiſſimum.



FFLAGITASTI mihi vir doctiſſime, vt prauæ huius febris quæ per hanc urbem, & extra cum multorũ ſtrage graſſatur, tum mores tibi ſignificem, tũ etiam ſi quod præſidiũ inter cętera compertum habeatur, quod praui huius morbi vires atterat, & quo tutius citiusq; ei inſiſtere valeamus. Quod quidem abs te expetitum noſco, tamquam à ſolertiſſimo viro praui huius morbi naturam, tũ etiã eius cauſæ uniuerſalitatem explorante, vt prudẽtis, & generoſi Medici conſilium eſſe debet, qui medicam

hanc

hanc artem recta methodo, & ratione exercere (ut iã pridem abs te actum noui) profictebitur. Vt igitur tibi morem, vt cupio, geram, ad ea explicando quæ postulas, mox calamo manum admoueo. Quę modo uagantur febres, epidemicas esse, & in vulgariũ morborum genere reponendas a nemine quidem ambigendum puto. Ipsarum si quidem calor tamquam sordida humiditate mersus non admodum sua acredine sensum feret, sed mitis primo, & ad morá acris tangentibus se ostendit. Pulsus & paruus, & non admodum frequens minusq; quam in alijs ex putredine febribus percipitur. Febris in quolibet ęgro in forma duarum tertianarum spuriarum, atque duplicatarum progreditur: singulo die namque accessit una, noctu uero alia repetit, & alternatim inuasionis horæ se respondent. Vrinæ primis diebus sanorum. similes se ostendunt, licet paululum crudiores; In tertia die verò vt plurimum, vel quarta & alijs septima crassæ, & albæ turbulentesq; redduntur: quibus apparentibus exanthemata uel maculæ apparere iam incipiunt in dorso sub alis, & in brachijs, & paulatim sparsimq; per vniuersum corpus: aliquibus rubræ, aliquibus liuentes, aliquibus nigræ efflorescunt: In aliquibus etiá maculæ illæ altera die, vel parum ultra retrocedunt, & delitescunt, alijs verò in dies magis efflorescũt. Symptomata, quę sequuntur vel concomitãtur citra enarrata sunt prima die viriũ lapsus, vt vix caput vel aliud membrum attollere valeant, ad somnum inclinatio;

capitis

capitis grauitas, & non abſque dolore primis præcipue diebus, qui dolor maculis efflorefcentibus ceſſare ſolet, ſed delirium quibuſdam ſubſequitur. Obſurdeſcunt aures, a naribus ſanguinis ſtille decidũt, oculi rubent, atque ingraueſcunt, turbulenteſq; fiunt, & in aliquibus toruus videtur aſpectus, lingua circa initia in medio exſiccata, & ad latera lẽtore quodam albicans cernitur, & in morbi vigore non nullis humidior apparet, fauces, & palatum aliquibus vlcuſcula occupant, manus tremulæ, & prope morbi vigorem, vel in ipſo vigore alui fluxus contingunt, in quibus humentia, & aquoſa, & quãdoque chiloſa, & ſimpteptica vel colliquantia, & valde fetẽtia deiecta exiſtũt. Quæ prauæ huius febris cauſæ ſint, ita coniecimus. Magis proxima, & effectix profecto ingens eſt putredo ad corruptionem tendens, prauę huius putredinis excitans cauſa, dubio procul humidior eſt aeris intẽperies, & occulta quæpiam eius praua qualitas vt ex magni Hippocratis decreto in 1. de morb. vulg. legitur vbi ſic ad uerbum ſcriptum reliquit. Morbi uerò fiunt partim a victu, partim a ſpiritu, cuius actratione viuimus, utroſque hoc modo diſtingues: Vbi multi uno morbo homines corripiuntur eadem tempeſtate, cauſam illi attribuere debemus quod eſt maxime commune, & quo præcipue omnes utimur, id autem eſt quod reſpirando attrahimus; tunc enim uictũ cuiuſque noſtrum, nequaquam in cauſa eſſe manifeſto conſtat, cum morbus omnes iuxta attigit tã iuuenes,

quam

quam ſenes, tam fœminas quam uiros, perinde uinũ ac aquam bibentes, tam qui mazam, quam qui panẽ comedunt, tam qui parum, quam qui multum laborant, & quæ ſequuntur. Iis uerbis Galenus maxime addictus recte concluſit, cœlum non uictũ vulgarium morborum omnium cauſam eſſe. At cum tempeſtate hac, plures tum homines, tum mulieres, tam iuuenes, quam ſeniores, & tam ciues quam agricolas, & agreſtes homines, praua hæc febris per urbes & caſtra, atque per rura vagans eodem tẽpore apprehẽdat, iure merito non à uictu qui tam uarius, atque diſſimilis inter omnes extitit, ut diſſimili potius, & ſporadicis morbis quam hoc uulgari morbo ſinguli apprehendi debuiſſent. Aeris itaque manifeſtum uitium auſtrina fuit cõſtitutio ipſum humidiorem reddens, quæ aeris intemperantia quantum ualeat ad uulgares morbos procreandos Hippocrates: in 3. epid. in principio inquit, Annus auſtrinus pluuius, & quę ſequuntur. Galenus in commento rationem reddens inquit. Et uidetur putredo omnis ex materia quidem gigni humida. Idem quoque ſuper 3. aph. com. 15. inquit ſuperfluæ humiditates per imbres intra corpus collectæ putrefiunt. Eidem ſententiæ ſe ſubſcripſit Haly Abbas in 1. practicæ ſuæ reg. diſp. cap. 26. ſubſcripſit quoque princeps Arabum in 1. 4. cit. nuper loco, ubi inquit: Peſtilentiales uerò fiunt ex aere turbido, & humido, luculentius autem inter cæteros ſententiam hanc propalauit Magnus Hipp. in 3. aph.

inquiens

inquiẽs ex anni temporibus, quod in totum dixerim ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ. Aliam, quam occultam occurrere cenſemus Auic. innuit citato nuper loco vbi inquit, & principium harum alterationum ſunt formæ ex formis cœli facientes eſſe neceſſarium, illud cuius aduẽtus ignoratur, & paucis interpoſitis inquit: Immo oportet vt ſcias, quod cauſa prima longinqua ad illud ſunt figuræ celeſtes, & propinque diſpoſitiones terreſtres, & his traditis cauſis deinceps quo pacto eiuſmodi cauſæ læſionem inferant perpulcre oſtendit inquiens: Et quoniam neceſſariò faciunt virtutes agentes cœleſtes & virtutes patientes terreſtres, humectationem vehementem, aeri eleuantur vapores, & fumi ad ipſum, & ſparguntur in ipſo, & putrefaciunt eum cum caliditate debili. Et quoniam fit aer ſecundum hunc modũ venit ad cor, quare corrumpit complexionẽ ſpiritus, qui eſt in ipſo & putrefit, quod circundat ipſum de humiditate, & accidit caliditas egreſſa a natura, & ſpargitur in corpore cauſa fluxibilitatis ſuæ, & fit febris peſtilentialis. Accedit quoque quod aer ambiens a reſpirato aere ægrorum, labefactari & coinquinari ualet, & hæc de cauſis vniuerſalibus extrinſecis, mox de intrinſecis quid ſentiam tibi aperiam. Quoniam nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt dicebat Galenus 1. de diff. feb. cap. 4. alioquin circa canis ortum omnes ægrotarent, & in peſtilentijs morerentur, ſed magnam in generatione ægritudinum

partem

partem habeat eius qui passurus est habilitas corporis, quam sententiam Auicennas etiam sequutus inquit: Agens solum cum peruenerit, & patienti nõ est præparatio, non fit actio, neque passio. Habita igitur notione cõmunis illius causæ, quæ cunctis communicatur, quæ modo sit hæc habilitas vel præparatio ad patiendum corpora disponens mox venit peruestigandum. Causa, quæ præparans dicitur, & quæ habilitatem ad patiendũ corporibus præstat, illamet vtique dicenda est, quæ subiectum putredinis, & materiæ dicitur, vt Arabum princeps ostendit in 1. 4. sic inquiens, & præparatio corporum in quo sumus de passione est vt sint plena humoribus malis, nam mũda non forsitan patiuntur ex illo. Galenus vero in suo 1. de diff. feb. cap. 3. sub exemplo perpulcre id ostẽdit inquiens, supponatur igitur vt in exemplis inambiente quidem aere nonnulla pestilentiæ semina cõtineri ac ea, quæ ab ipso corpora continguntur nonnulla quidem esse uariis admodum superfluitatibus plena iam a se ipsis ad patiendum paratis, nõnulla autem pura, atque inutili materia carentia, & rursus illa, quę superfluitatibus plena sunt addatur hoc, quod in multis corporis partibus obstructio foraminum adsit in vitaq; ociosa, & multis crapulis degerit ac rei venereæ vsibus immoderatis, & in his, quæ necessario cruditates progignunt assuetus fuerit: Reliquis vero mundis corporibus, & superfluitatibus carentibus adsint præter hæc bona, libera eis sit perspiratio, ob-

structionibus

ſtructionibus adſtrictionibusq́; meatuum careāt, exercitia etiam ſint moderata, & victus moderatus. His denique ſuppoſitis puris, & impuris: corporibus, cogita (inquit ille) quomodo vtraque corpora affici ſit neceſſarium ab eo quem inſpirant aere putredinoſo. An nō rationabile eſt, inquiebat ille, illa quidem impura ſtatim à prima inſpiratione principium putredinis ſumere ac plurimum in malo procedere? Quæcunque autem munda ſunt ac ſuperfluitatibus carent non nulla quidem nihil, non nulla verò minimum mali ſentire ita vt facile ad naturalem abitum habeāt regreſſum. Deinceps idem Galenus tanquam ſolertiſſimus ſubdit. At hic quidem ſermo in vno profertur exemplo ſed nihilominus in omni genere cauſæ veritatem complectitur. Cauſa igitur, quæ corpora ad patiendum diſponit redundantia eſt excrementorum. Ratio autem ob quam munda corpora à communi ledente extrinſeca cauſa nō patiantur ab Haly Abb. lib. v. ſuæ Theoricę cap. xi. explicatur, vbi ſic inquit, Eorum etenim complexio aeris complexionē exuperat eiusq́; mali frangit inimicitias, & ſi ita non fieret, vt dicimus certe omnes vna infirmarētur peſte & eodem tępore perirent. Quæ autem excrementitia hæc materia ſit, quæ ſua quantitate, & qualitate peccat in eiuſmodi febribus, vtique cum iam nouerimus eas in forma duarum tertianarū nhotarum progredi, profectò bilem pituitæ portione admixtam putredinis materiam, & ſubiectum eſſe nemo fuerit qui

ambigat,& sic de causis,& morbi huius dignotione. Qualis vero eorum qui ægrotant a nobis expectetur euentus in vniuersum tibi significabo. In aliquibus namque salubris at in plurimis perniciosus euentus ipse prædicitur, si quidem ita subsequi in dies obseruamus. Salubris etenim speratur in quibus pauca scatere recrementa cõiectamur,& in ijs præcipue qui boni sunt habitus, & quorum corpora obstructionibus carentia facilis in eis perspiratio dignoscitur, & in quibus die critica exanthemata illa,& maculę efflorescunt rubræ,& cum leuamine ęgrotantis: quę persistant, neque citius delitescant: Sperenturq; magis, si cum mentis constantia virium robur persistat,& ęger ad ea quæ sibi offeruntur medico obediens,& promptus fuerit,neq; quæ sibi offeruntur alimenta respuat. Speratur quoque si in statu, & die critica copiosa per aluum deiectio fiat cum ægri tollerantia. Obseruauimus namque quod plures quibus sic effluxit aluus quamuis alba quandoque,& vt chylosa valdeq; fetentia deiecta fuerint ex huiuscemodi effluxu quemmadmodum,& ex non ita prauis,plures saluatos fuisse cõperimus modo nõ in principio sed in morbi processu,& circa statum eiuscemodi effluxus apparuerint. Per vrinarum quoque copiam aliquando felix sequutus est euẽtus nihilominus cum ex ijs infidum sit iudicium,& fallax sæpe idcirco medici decepti fuere cũ post copiam vrinarum effluxam ipsarumq; color, & sedimentum non multum a laudabili distarent, atta-

men ægri non pauci periclitarunt,& idcirco nõ in ipſarum copia ſperandũ erit ſed ſi in die critica effluxerint,& cum leuamine ægrotantis & cum cæteris ſalubribus indicijs. Ex aduerſo autem de malo euentu prædicimus ſi exanthemata in morbi principio apparuerint, & cito deliteſcant, vel ſi perſiſtant, & in dies liueſcentia vel nigra apparuerint nã ſic apparentibus pauci euadunt, vt experimẽto compertum habemus. Periclitãtur quoque quibus praua illa materia ad cerebrum defertur vnde delirium ſequatur, Rubeſcant oculi, obſurdeſcant aures, è naribus ſtillæ decidant, manus tremulæ fiant niſi cum his præcipue viriũ robur perſiſtat,& oblatis cibis nõ aduerſentur,& ijs ſubſtineantur,ex ijs namque præter ſpem multorum nõnullos euaſiſſe obſeruauimus. Euentus quoque malus expectatur,ſi ex illis,qui circa ægrum aſſiſtũt,quis cõtagium acceperit nam vigilijs, & cæteris laboribus eorum viribus iam defeſſis licet qui primo ægrotabat perſanetur illi vt plurimum virtute non perſiſtente moriuntur vt ſæpius obſeruatum fuit, & hæc de prænoctione. In hoc morbo curando quemmadmodum,& in cęteris duplex. Indicatio imprimis nobis ſuggeritur morbi videlicet ſublatio,& virium cuſtodia: & cum quę à viribus inter omnes alias indicationes primum obtineat locum, & idcirco cæteris præferenda ſit,vt Galenus voluit in ſuo lib. I X. Meth. Med. cap. X I I I.& non abſque ratione cum quæ a viribus ſumitur Indicatio duplici nomine præferri de-

beat, & primo quia ab ipſo ortu, & etiam nobis ſanis exiſtentibus ſcopum hunc reficiendi, quod exhauſtũ eſt vt vires cuſtodiantur Galenus præfixit 1. de ſanit. tuen. cap. 3. ſecundo quia medicorum. Arabum princeps in prima quarti tract. 2. c. 8. inquit. Curans enim vt ſciuiſti eſt virtus non medicus, & cum ipſa deficit non valet curatio. A virium indicatione proxima eſt, quę ab affectibus quos curare proponimus datur, poſtea deinceps reliquæ. Vt modo cuſtodiantur vires cuſtodienda eſt ipſarum ſubſtantia, quæ triplex eſt videlicet, ſpiritus, ſolidæ partes, & benigni humores. Cuſtodietur autem quælibet ſubſtantiæ pars dictarum ſi dum exhauritur, quælibet reſarcita fuerit. Quantum verò reaſſumendum ſit, & quantum reſarciendum Galenus oſtendit lib. x 1. meth. cap. v. vbi inquit. Tantum adijcere oportet quantum eſt de robore virium imminutum. Quo verò inſtrumento docet Galenus primo de ſanitate tuenda cap. 2. & 3. ſpiritus videlicet aere, ſolidiores partes cibo, humidiores potu. At cum inſtrumenta hæc in ſex rebus non naturalibus contineantur a ſuis fontibus quodlibet ipſorum ſua condecenti qualitate, & quãtitate ac vbi expedierit, ſeligendum atque hauriendum, iure meritò fuerit. Ad vires cuſtodiendas igitur conſilium primo dirigentes, & ab immodico febris eſtu, & exuberantis bilis feruore ſpiritum tueri atque eundem recreare primo intendẽtes, & idcirco vti refrigerationem ad hæc præſtanda nãciſcamur, pro primo inſtru

mento

mento aerem ſeligimus qui in primis qualitatibus ad frigidum moderate vergat ne excedẽdo cutaneos poros condenſet, & exanthematibus quæ tunc temporis efflorescere debent recludatur via: in paſſiuis verò qualitatibus ad putredinem, & ad aeris vitium iam ſuppoſitum conſilium tendentes aerem ipſum ad ſiccum vergentem, & omnis impuritatis expertem ſeligimus, & ſi talis à præſenti cœli ſtatu non condonetur, tunc in ædibus talẽ arte paramus quemmadmodum Galenus docet lib. IX. Meth. Med. cap. XIIII quo in loco inter cætera domos ſeligẽdas eſſe docuit quæ ex ſe ipſis eas præſtent qualitates, quæ inſalubris aeris qualitatibus aduerſentur, & ſi tales non adſint arte parari debeant. Cum igitur humida fuerit quæ præceſſit aeris conſtitutio, & adhuc talis cum aliquo occulto vitio perſiſtat, prauarum febrium eiuſmodi eſt auctor. Vt arte igitur contemperetur, & purificetur aer curamus vt feneſtræ quæ ſeptentrionem reſpiciunt aperte teneantur, occluſe verò quæ auſtro percutiuntur: Inſuper vt aer ipſe ambiens in ædibus ſalubris magis, atque gratus reddatur hyemali tempore lignis redolentibus ignes accendebamus, vt ex lauro, pineis, iunipero, & eiuſmodi alijs vel ſuffumigia parauimus ex lauandula ſtirace Gariofillis, & ſimilibus nunc verò in eſtibus ſolium thalami aqua roſarum, aqua lampha, & aceto optimo irroramus, vel ex eiſdem & ſaccharo gratæ fiant euaporationes, & quandoque per ſolium flores proſternimus, & virides frõ-

des, vt rosas uiolas Aranciorum flores, & folia limonum Gelsimini nostrales dicti, & huiusmodi alia, & hæc de aeris contemperamento. Dum aere sic spiritum tueri recreareq; studemus; Interim quoque solidas ægri partes cibo, atque humidiores potu tueri resarciriq; pariter curamus. Verum si nobis sanis existentibus cuiusque hominis substantia continuo depascitur eaq; cum triplex existat spiritus uidelicet solidæ partes, & qui benigni dicuntur humores: spiritus autem aere substantia solida cibo, humidior potu in dies refici necessariò debeat multò magis eędem substantiæ partes, reassuntione, uel resarcitione in ægris indigeát, cum maior in eis dictarum partium ex solutio fiat: Tantumq; ad nutrimenta adijcere oporteat quantum est de robore uirium imminutum authore Galeno lib.x .Meth.cap.5. Et cum multa in hac mali moris febre, substantiæ deperditio fiat multum quoque ad nutrimenta adijcere oporteret, ut uires custodiantur. Sed quoniam duplex indicatio in medendis morbis nobis suggeritur uirium custodia scilicet, & morbi sublatio. Idcirco in cibando ęgrum non leuis illa oritur difficultas à Galeno prætacta lib. 1. ad Glauconem cap.x.ubi binos illos proponens scopos inquit; Quoniam uires longius laborare debent, pro uidendum est pro uiribus ne morbus augeatur & ne ægrotantis uires prosternantur. Difficile uero est seruare utrumque inquiebat ille, quoniam inædie quidem quantum prosunt ad morbi coctionem, tantum
uel

uel etiam amplius uiribus efficiunt: Cibi uero in quãtum ægri robur adaugent, tantum coctiones impediunt hæc Galenus. At longe magis eiusmodi augetur difficultas in prauis eiuscemodi febribus cum citra id quod in genere sint duarum tertianarum spuriarum ipsarumq; duplicatarum in quibus viris longius laborare debent, Galeno authore citato nuper loco, additur quoque prauitas, & magnitudo morbi. Magnus quippe dici debet, tum ratione prauorum simptomatarum, & eiusdem morbi seuitiæ, tum ratione cordis quod præcipue obsidetur, & cæterorum membrorum principalium quibus eiusdem morbi simptomata impertiuntur cum magna virium in ipsis membris insidentium imbecillitate, qua posita magna adiectione, & largiori cibo indigerent ægrotantes, ex aduerso autem cum morbus magnus sit, & ad coctionem contumax, atque rebellis tenuiorem cibum exposceret quãdoquidem cibi coctiones impediunt, vt Galenus monuit citato nuper loco primo ad Glauconem, ad quam difficultatem sic dicerem, quod etiam ratione morbi in quo subest ingens putredo, vel corruptio, vt in eiusmodi febribus, & etiã ratione, quia ad coctionem rebellis est morbus, alendi sunt ægri in morbi initio præcipue, & vsq; in tempus prope statum, largiori cibo potius quàm tenuiori: Et in primis ratione virium, quæ in morbo hoc maxime labuntur, tum etiam ratione prauitatis, ob quam humores non modo putrescunt, sed ad corru-

ptionem accedunt de qua corruptione Galenus loquens in primo Aphorism. comm. XVII. inquit, si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ est in corpore dispositio sit ex corruptione humorum parum alimenti, sæpius talibus afferemus: Parum quia non potest virium imbecillitas tantum simul alimenti substinere: sæpius autem quoniam multis indiget dispositio; nec obstat quod morbus sit ad coctionem rebellis quia non est expectanda coctio vbi non admittitur, sed nihilominus à natura ipsa, & arte euinci praua morbi materia, atque depelli profectò valebit. Quamobrem cum prauæ istius materiæ depulsio in statu fieri soleat, tunc temporis tenuiori cibo vtendũ erit iuxta Hippocratis præceptum primo Aphoris. Aphorismo VIII. Imo parum ante illud erit cibus subtrahendus, vt idem Hippocrates monuit citato libro Aphoris. x. Causa autem ob quam in statu sit tenuissimo victu vtendum, Arabum princeps nos edocens inquit, vt natura in cibo non occupetur cum ipsa impugna ad morbum profligãdum pro viribus se adniti deberet, prius vero vberius victus adhibendus est vt æger sufficiat. Hippocrates inquit citato loco. Auic. verò in prima quarti tract. 2. cap. 8. nos iterum monens inquit. Verum est tibi necessarium cũ in hoc, in omnibus speciebus, vt sit principium tui regiminis grossius, & postremum tui regiminis perueniens ad statum subtilius, & gradatim procedens in eo quod est inter illa, ita vt virtus sit conseruata

vsque

vſque prope ſtatum, & ſuperius dixerat, dignior horarum ad ingroſſandum ſcilicet alimentum eſt hora, in qua virtus nõ eſt valde occupata in materia, & eſt principium ægritudinis. Reſpectu virium igitur in principio largius eſt alendum, & ſic gradatim quouſque ad ſtatum morbi prope accedamus tunc temporis namque ratione morbi, vt eius materiæ tum coctio vbi admittitur, tum præparatio eiuſdemq́; a natura depulſio fiat, & non occupetur in cibo ſicut monuit Arabum princeps, ſubtrahendus eſt cibus, & tenuiori vtendum eſt, vt citato loco monuit magnus Hippocrates. Quo pacto autem alimenti quantitas in principio morbi, & vſque in ſtatum ſit ægro perſcribenda, vel metienda hoc medico coniectandum reliquit Hippocrates aphoriſmorum primo aphor. 9. vbi inquit. Coniectari autem oportet an æger cum victu ſufficiat perdurare donec morbus conſiſtat, & quæ ſequuntur. Ex quibus coniecturam eiuſmodi medicus ſumere recte debeat, vt recte cuilibet ægro ſua præſcribatur victitandi forma, adeo vt cuſtodiantur vires, & morbus pariter profligetur, magnus Hippocrates pluribus in locis peruulgauit, ſed præcipue in ſuo, de ratione victus commentario 2. text. 36. vbi hæc inquit, Conijcere autem oportet, & robur, & morbi cuiuſque ſpeciem, hominis item naturam atq; ægrotantis in victu conſuetudinem, non in cibis ſolũ verum quoque, & in potionibus. His maiorum placitis recte obſeruatis vnaquæque cibandi ægrum difficultas

ficultas demitur. Cum igitur ad ægrum accedimus hac mali moris febre correptum quod quam primũ per enarrata ſigna conijcimus, & tamquam experientia edocti dignoſcimus, ex inde ægri natura eiusq; robore, & in victu conſuetudine exploratis, quod ægritudinis ſtatus non prope adſit, ſed vt in aliquibus vltra decimum quartum, in nõ nullis vltra vigeſimum prorogatur, vt etiam in dies obſeruamus coniectantes, & ſub inde indicationibus receptis, vt à viribus cuſtodiendas eſſe, à febre refrigerandum, & modice madefaciendum, à putredine educendam eſſe ab obſtructione aperiendum ab obſtruente materia tollendam, vel prius præparandam à prauitate alexipharmacis inſiſtendum, deinceps ad inſtrumenta vſurpãda, quibus ea quæ nobis indicata ſunt perficere valeamus, omne conſilium dirigentes pro reaſſumptione reſarcitioneq; ſolidarum partium, nec non humidarum, quæ continuo vt diximus exoluuntur, ita inſtituimus, videlicet; Vt in prandio ſumat panem in iure paruæ pullæ ferueſactum, & ouum ſorbile ante ipſum ferculum, & in ipſo iure boraginem, uel cicerbitam, uel oxalidam incoquendam imperamus: In potu uerò pulli ſtillaticium magis delicatis corporibus cæteris uerò aquam decoctã exhibemus; In meridie uerò ad quinque horas à prandio eiuſdem ſtillaticij ciathum ſingulis exhibemus; in cęna uerò idem ferculum, quod in prandio ſimiliter exhibetur. & ſic procedimus per duos primos dies, & quouſque mi-

norata

norata ſit materia perleniens pharmacum, uel per uenæ ſectionem. Minorata ſi quidem, quæ noxia eſt materia, tunc incipimus vberius ægrotantem alere, & in prandio ſi ex delicatis ciuium corporibus ſit, vel ex nobilioribus lautis cibis, & optimi vini potui aſſuetus, capi iura concedimus, & vini aquæ dimidio limphati ciatum condonamus, & ſi vires non admodum validæ fuerint, in meridie ptiſanam portiuncula pulli contuſi addita exhibemus; in ſero autem vt abſtineat à vino imperamus, & ſtillaticium exhibemus, cuius etiam circa mediam noctem ciatum exhiberi concedimus. Si vero ex robuſtioribus corporibus ſit, & vino non admodum aſſuetus, nec exquiſitis cibis, ferculo iam præſcripto, & luteũ oui addimus, ut poſt ipſum ferculum in prandio, & cœna ut ſumat buccellam panis loti acetoq́;, & ſaccaro aſperſi, ut Florentiȩ parare conſueuimus. & in meridie ſolum ptiſanam ordeaceam abſque contuſo exhibemus, & ut à uino, tum in prãdio, tum in cœna ſe abſtineat imperamus, & ſic procedimus hac uictandi forma, quo uſque ad morbi uigoré ægrum propè accedere dignoſcamus. Tunc temporis, ut Hippocratis præcepta ſeruemus cibum ſubtrahere incipimus, & ægrum à uino arcemus, & à ptiſana contuſum auferendum iubemus, & robuſtioribus panem lotum interdicimus, & ſingulis ita cibum ſubtrahimus, ut ſolo ferculo ex pane feruefacto in iure paruæ pullæ, & luteo illo ui contenti exiſtant cuius ferculi in ipſo uigore quantitatem etiam

minuen-

minuendam iubemus, & sic quo usque morbi status perduret, & donec natura ipsa uictrix morbum debellasse, & ad declinationis tempus iam accessisse nouerimus, tunc ægrum reficere, & uberius alere incipimus. At iam audio imperitorum turbam obstrepentem, qui doctrina Hippocratica, & cæterorum maiorum placitis penitus ignari, non tantum uerbis, sed opere grauius aberrant cum in singulis ægris, & quocunque morbo ægrotantibus nulla habita distinctione morum, & naturæ morbi, neque ægroti uirium, & eius naturæ atque cõsuetudinis eiusdem in uictu, neque morbi eiusdem tẽpora distinguentes futurumq; statum minime præcognoscentes, quod tam magni est manenti in hunc abusum deuenerunt, ut illico cũ ad ægrum accedunt, & præcipue prauis his febribus laborantem singulis eandem deitationem imperant, & eandem per totum morbi uigorem, & usq; in uniuersalem morbi declinationem prosequuntur nulla, ut diximus habita distinctione temporum morbi tãquam si unum calepodicum omnibus inseruire hominibus uelint, uel quod longe peius est cum indifferenter singulis ægrotis à principio morbi solũ ferculũ ex pauco pane in iusculo paruæ pullæ feruefacto & luteũ oui, & sic in prãdio, & cœna exhibeãt, & ĩ meridie ptisanam instituant, & singulis carnẽ, & uinum interdicant, & ita prosequentes tam in delicatis nobilium corporibus quam in rusticis, & agricolis, & tam in illis qui imbecillioribus constant uiribus quã
in

in robuſtis, unde ſæpius cõtigit quod cum ad ſtatum proxime accedunt ad quod tempus vires ſeruari ſubſtineriq; deberent, & in quo tempore cibus ſubtrahẽdus eſſet, ipſorum egrorum plures iam cibi conſueti abſtinentia, & morbo eiusq; ſimptomatibus imbecilliores redditi adeo inuia deficiunt, & adeo illis vires labuntur, vt medici ipſi tunc cogantur cibum addere vt eos reficiant in quo tempore tenuiori victu vtendum eſſet ne virtus ipſa fatigetur, & à pugna morbi in cibo occupata diſtrahatur vnde fit, vt vires magis fatigentur in pugna, & validior fiat morbus, cum non leui ægrotantis detrimento, & ſæpius cum eius vitæ diſpendio. Iam patet igitur, quod ſi Hippocratis, & Galeni, & cęterorum maiorum pręceptis boni iſti viri addicti eſſent minime ſic errarent, ſi namq̃ue Hippocratem legiſſent in primo aphoriſmorum aphoriſ. 8. 9. 10. vtique nõ ignoraſſent quod in ſtatu tenuiſſimo victo vtendum eſt, & quod in morbi principio, & ante ſtatum vberior eſt victus adhibendus; Et ſi futurum ſtatum non præcognoſcant, vt ex ipſa victitãdi forma oſtendunt, ipſum præcognoſcere quantum referat Galenum legant in primo de criſi cap. 3. vbi inquit. Generoſi autem medici, atque arte Hippocratica digni, eſt officium, futurum ſtatum pręcognoſcere cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens inſtituat: & lib. 3. cap. 5. eiuſdem operis inquit. In nulla re adeo exercitandus eſt medicus quantum in ſtatus præcognitione. Præterea neque ſic errarent ſi

Galenum

Galenum legiſſent ſuper 1.aphoriſmorum commento 17. vbi monet quod vbi eſt humorum corruptela multis tunc indiget diſpoſitio, & ſi acceſſiones impediant quod raro, & plura exhibenda ſunt. Et adhuc minus ſi Galenus legiſſent lib.x 1.methodi dicentem, Hoc tempore etiam vires roborare quo putredinem ſuperantes ſuccos concoquant. Præterea neque nobiliores viros ægrotantes qui vini optimi potationibus ſunt aſſueti a vino penitus arcerent ſi Hippocratem legiſſent in ſuo de uictu acut.commentario 2.ſępius citato ubi uult, quod conijcere oporteat ægrotātis naturam, & eius in victu conſuetudinem non in cibis ſolum, uerum & in potionibus. Neque in futurum etiam uinum penitus interdicent, ſi Galenum legant aphoriſmorum lib.7.cōmento 56. ubi inquit Et cum hoc omnes humores optimos reddit. At quis hoc anno nō obſeruauit, quod ex eiuſmodi febribus plures ex uilioribus, & agricolis ſaluati ſunt, quam ex ciuibus, & nobilioribus quorum plures periclitarūt? Cuius rei potiorem cauſam non conijcio hac uidelicet. Ciues cum mollioris habitus fuerint, & lautis exquiſitisq; cibis uiniq; potationibus largius ali conſueti fuerint. Ruſtici uerò, & agricolæ denſioris habitus, & laboribus aſſueti, & qui ſolo pane eoq; furfuraceo, uel agreſtibus cibarijs, & herbaceis edulijs pauci, & praui nutrimenti, & qui aqua pro eorum potu uti aſſueuerant, cum panem in brodio pulli feruefactum, & oua ſorbilia deguſtaſſent, & pulli ſtillaticium

& quan-

& quandoque uinum abſque medici conſilio uti ſolent potauerint: In iocundum, & melioris ſucci cõmutato ipſorum alimento recreantur ipſorum ſpiritus, atque vires, & ſuſtinentur magis demiſſis præſertim aſſuetis laboribus, vires eorum cum morbo validius colluctarunt, & idcirco ipſorum plures ſuperſtites fuere, & à prauo morbo euaſerunt. Delicatis verò hominibus exquiſitum, & lautum eorum alimentum in modicam panis quantitatem in iuſculo paruę pullæ feruefacti, & vnicum oui luteum, & in ordeaceam ptiſanam commutatum, & in aquam præſtantiora vina fit verſa vice vt ex defectu lauti liberaliorisq; alimenti, & vi morbi, & ſimptomatum vt breui momẽto temporis concidant eorum uires, & adeo labantur vt in itinere deficiant & ad pugnã in ſtatu reſurgere non valeant, & ſic perduntur ipſorum plurimi. Ex ipſis verò nonnulli perſanati fuere, quibus vires vberiori cibo reaſſumptæ fuere, & vſque in ſtatum ſeruatæ, & quibus eorum conſuetudini à peritis medicis aliquid condonatum fuit; & hæc de victu quem febriẽtibus inſtituimus pro viribus cuſtodiendis.

Inſtituto victu in quantitate pro uiribus cuſtodiẽdis condecente, & in qualitate intemperiei febris aduerſante eandem febrem reſpicientibus putredo deinceps ſe offert tanquã eius proxima cauſa, quæ educi debet, vt pro tertio ſcopo habemus, perduci autem hæc recte non valeat ni prius antecedentem eius cauſam inhibeamus videlicet humorum affluxum qui

ad putredinem parati existentes euacuari indicant, uel saltim in principio minorari, ut facilius putredo inhibeatur nec non facilius obstructiones liberentur quemmadmodum Galenus lib.x11.Meth.cap.x. nos monuit. Quo autem instrumento id fieri ualeat Galenus citato lib.cap.xv.optime edocuit, ubi in omnibus putredis uenæ sectionem saluberrimum esse prę-sidium peruulgauit (leuata namque dicebat ipse) quę corpus nostrum regit natura exonerataq; eo quo ueluti sarcina præmebatur haud ægre quod reliquum est uincet.Itaque proprij muneris non oblita, & concoquet quod concoquendum est habile, & excernet, quod potest excerni hæc Galenus.Veruntamen quoniam in eiusmodi febricitantibus in uentriculo, & primis uenis multas scatere cruditates, vel corruptos humores coniecimus uenæ sectionem; idcirco in aliquibus moramur, quo usque medicamento aliquo leniente, & noxiam materiam minorante, ea, quæ in dictis partibus exsuperant, sublata à nobis fuerint? Quod medicamentum ex cassia, & electuario dedactilis conficimus, & ægrotanti propinamus. Verum quoniam eorum, quæ in medio sunt corpore prouidentia, vt Galenus asseuerat loco proximo citato, vbi sanguis detractus non est, maximum plane est malum; vbi vero detractus est non maximum inquiebat ipse. Idcirco, altera sequenti die primum inspecto dorso. & cæteris partibus, si exanthemata, vel maculę adhuc non effloruerint ad venæ sectionem accingimur,

mur, & ſcopo educendi putredinem iam factam nec-
non eos humores qui ad ipſam ſuſcipiendã parati eſ-
ſent educamus nec non ẽt ex parte refrigerandi ſco-
po ſatisfaciamus, vt præcipit Gal. cit. loco & ſi cætera
conſentiunt hiecorariam ſecamus, & pro tenore vir-
tutis ſanguinẽ detrahimus, ſed vt moderata ſit detra-
ctio apprime curamus ne vires labefactemur, quæ cũ
prauo morbo, & longius colluctari debẽt ſed aliquid
ad curationis ſpatium reſeruamus, ne poſtea neceſſita
te vlla intempeſtiue nutrire cogamur, vt Gal. nos mo-
nuit citato nuper lib. cap. 14. & eo magis quoniam ſi
qua ſpes eſt in viriũ robore ſeruatur. At ſi primis die-
bus exanthemata forte appareant antequam vena ſe-
cetur de mittendo ſanguine, vel non mittendo certãt
medici. Nõnulli ſiquidem valde ſe decipientes putãt
excretionem illam ſemper à natura propellenti fieri
poſtquam per ebullitionem ab eſtuante calore febri-
li in ſanguine facta fuerit ſequeſtratio, ſicuti cõtingit
in variolis, & morbillis; & idcirco eandem expulſio-
nem adiuuare conantes ſuſpectã habent venæ ſectio-
nem vtquàm ad centrum trahat illud quod iã ad cutis
circumferentiam expellitur: alij vero dicũt expulſio-
nem illam minime criticam eſſe, neque à natura mo-
litam tunc temporis, cum materia cruda ſit, & coctio
nem vllam minimè experta, & motum eius ratione
ſimptomatis potius quam naturæ factũ dicunt, & ſe
fundãt in placitis Galeni quod in principijs morbo-
rũ ſi quid excernitur nihil ratione naturæ excernitur;
cum namque natura ipſa à cauſis morbum facienti-

bus grauatur, & humores sunt crudi, impossibile est aliquid bene secerni Gal. inquit aphoris. lib. 4. comm. 22. & idcirco, nil sperantes, neque fidentes in expulsione ipsa cum præcipue videant ægrum nil iuuari ex ea sed quo magis expellũtur ex anthemata, magis augeri febrem cũ suis simptomatibus, & eò magis quia multi obiere quibus confertim per totũ corpus exanthemata effloruerant: vnde potius materiæ illius prauæ exuperantiam intus, & extra coniectantes circa principaliora membra latitantem viresq; præmentẽ vt iam positos scopos compleant venam secant, iecorariam, vel medianam in dextero cubito, & moderatam faciunt detractionem, ægroti vires, & futurum statum consultò inuicem metiẽtes, & illico sanguine detracto, vt quæ iam ad cutim effloruerint exãthemata, vel quæ in via fortasse ad cutim promota forẽt nõ retrocedant imò persistant, & magis trahãtur, uel cocurbitule applicantur, vel frictione fiunt circa crura, & nates, & circa dorsum, & spatulas, & sic nos vtimur quo ad scopum euacuandi simul ac refrigerandi scopum inspicientes. Verum hoc præcipue seruamus, vt non secemus venam ea die, qua exanthemata efflorescere cęperint, sed sanguinis missionẽ differimus quo usq; sequatur exitus ab internis partibus ad cutaneas ne prauæ materiæ intercipiatur exitus, sed tunc cucurbitulas applicamus cũ scarificatione, & frictionibus vtimur, manus fricantis cum elisir vitæ madefaciẽdo vt magis rubescat cutis, & facilior exanthematibus paretur exitus. Quod si per ipsam expulsionem non

leuetur

leuetur ęger ſed potius poſt multarum apparitionem morbus increſcat,& augeantur ſimptomata tunc in expulſione minime fidentes de ſanguinis miſſione conſulimus, & venam cubiti ſecamus, vt ſupra diximus: vel ſi imbecilliores ſint vires ano hirudines applicamus,& poſtea cucurbitularum vſum, & frictiones proſequimur,vt ſupra eſt dictum. Celebrata ſanguinis miſſione ad reſiduum præparandum accingimur, vt noxia materia facilius euinci valeat. Ad hoc ſiruppum ſeligimus, vt de cicorea ſimplici de acido citri acetoſum ſimplicem, & quádoque oximelitem, vel ſiruppum de duabus radicibus,& ſimiles cũ decocto,vel ſtillaticio cicorei,acetoſę,capillorum veneris, ſonci,capraginis, ſeminum citri,ſcordei,& ſimilium quibus ſiruppis cinamomi ſtillaticij guttulas ſingulis addere ſolet,& de more exhibemus, & ſic proſequimur. Verùm ſi circa epar obſtructio aliqua, vt ſingulis ferè contingit hippocundrium occupauerit quod ex albicantibus fecibus dignoſcimus necnon ex dolore aliquo in tangendo ab ægrotante percepto loco ſiruppi cicoracei ſimplicis cõpoſitũ accipimus,vel in ſiruppo iam dicto. Reobarbari ſerop.infundimus, & ita proſequimur; Et ſi forte contingit in proceſſu morbi quod quę apparuerint exanthemata citius deliteſcant, & ſubinde ſimptomata inualeſcant prauaq; materia cerebrum petat eiusq; functiones interpellare incipiat, vt ex delirio & ſurditate oculorumq; grauitate dignoſcitur, & quia ſomnolenti fiũt,& manus

tremulæ eis videntur, ſubtiliantur vrinæ, & quando-
que magis craſſeſcunt, & turbulentiores fiunt ſpirãdi
difficultas, & cætera eiuſmodi ſimptomata ſubſequũ
tur in quo caſu non modo cocurbitulis vtimur dor-
ſo ſpatulis natibusq́;, & cruribus applicitis: ſed cum
hæ prodeſſe minime videantur ad hirudines confugi
mus ano eas applicantes felici admodum ſucceſſu:
Reuellimus namq; a principalibus membris ſimulq́;
materiam prauam educimus, quæ licet morbus non-
dum ad ſtatum accedat nihilominus, quia rebellis eſt
materia, & coctionem non admittit eam tuto ſic eua
cuamus, & a principalibus mẽbris per eiuſmodi pręſi
dium recte auertimus, & ad vncias decẽ plus, vel mi-
nus pro virtutis robore detrahimus. Interim dũ hæc
moliuntur ſimul, & ſemel prauitati occurrimus, & vi-
res tueri eas roborãdo pro poſſe adnitimur: ad quod
agendum alexipharmaca ſeligimus quę ſuis, tùm ma
nifeſtis, tùm occultis qualitatibus venenatæ materiæ
aduerſentur, & ſubſtantiæ noſtræ familiaria opitulã-
tiaq́; exiſtant. In quorum alexipharmacorum cẽſu ſe-
ligimus, lapidem Bezoar qui ex optimis, & non adul-
teratus ſit, cornu rinoceroti, vnicornum, & radix quæ
contriherba dicitur ex nouis Inſulis tranſportata.
Theriaca, electuariũ Alchermes pro diuitibus necnõ
electuarium de Gemmis pro nobilioribus, & magna
tibus bolum quoque Armenicum ſeligeremus pro
magno præſidio ſi ad nos adulteratus non tranſpor-
taretur, & ex his ſingula die exhibemus in mane, & in
ſero

ſero,& in media nocte, vel in aurora ante ſiruppum ſub hac forma videlicet.

Rec. lapidis bezoar ex veris, & non adulteratis.

Si ex orientalibus ſit gran.vj. vel vij.

Si verò ex occidentalibus ſit gran.x.

Exhibe per horam unam, uel per duas horas ante cœnam,uel ante prandium ſic. Accipiant aquæ capillorum ueneris,uel ſonci,uel capraginis,uel aquę lamphæ, uel ſtillaticij pulli guttulas quatuor ponatur in cocleare,& deſuper aſpergatur puluis tenuiſſimus ipſius lapidis,& ore accipiat,atque deglutiat eger, & illico quatuor denuo guttulas apponantur in ipſo cocleare, vt ſi quid de lapide in ipſo relictum fuerit iterum deglutiat.

Si in ſero eger acceperit lapidem bezoar,circa noctis dimidum,

Rec. Cornu rinoceroti finiſſime deraſi,gran.x.uel xij. exhibeatur cum ſtillaticio pulli, & cum dimidio uini albi an.quantum ſufficit ægrotanti exhibeatur.

Item Rec.Electuarij Alchermes unc.s.

Confectionis ex acido cytri unc.j.s.

Diaboraginati unc.ij.

M.& de eo exhibeatur quantitate caſtaneæ.

Per duas horas ante prandium.

Verum ſi ex nobilioribus, uel magnatibus fuerit.

Rec. Electuarij de gemmis ſcr.j.

Deglutiat æger,& vini albi cum tantundem.

Stillaticij pulli hauſtulum ſuperbibat ad quantitatem ſcilicet vnius coclearij.

Si verò ex pauperibus, vel agricola fuerit eger tunc
Rec. Conſerue boraginis unc.ij.
Conſerue bugloſſi vnc.ij.
Theriacę andromaci vnc.s.
Cōſerue acidi citri j.vnc.s. m. de quibus capiat per horam ad minus ante prandium quantitate caſtanee. Vtimur quoque felici cum ſucceſſu boli illius ex inſula Elue optima præparatione purificati, & ſigillo magni Ducis, & imagine Diui Franciſci inſignito ab aromatario magni Ducis, de quo bolo, vel terra Elue reperitur albus, & ruber ad flauum vergens, quibus indifferenter vtimur felici ſucceſſu: de hoc ſiquidem, tā nobilioribus, quam vilioribus hominibus vtimur in ptiſana in contuſo in ſorbilibus ouis exhibere, vel cū pauco vini albi, & ſtillaticio pulli. & in hoc magis cōfido, quàm in eo bolo quod ad nos aliūde tranſportatur. & ita dictis modis ea terra vtimur.

Vtimur quoque radicis illius, quæ à nouis inſulis ad nos tranſportatur quæ dicitur contriherba de qua exhibemus a dr.s. vſque ad integram, optime pulucrizatur, & egro exhibetur eo modo, & forma quo de cæteris pulueribus eſt dictum. Radix hæc namque ſudorem prouocat, & magni iuuàminis reperitur ſi legiptima veraq; ſit, & non ſecus fuerit: dictis ſic alexipharmacis per os ſumptis vtimur, vt prauitati inſiſtamus, & egri robur cuſtodiamus.

Ad eandem intentionem extra vtimur oleo magni Ducis quod contra venena dicitur optimo feliciq; ſucceſſu non minus, quàm in cæteris peſtilentibus

bus febribus, elapsis temporibus copertum fuerit. ex hoc namque subtiliter liniuntur pulsus manuum, & in pedibus, & cordis regio quo modo inferius dicetur de lenitione fienda post epithema. Circa tempora pulsus hoc oleo minime liniunt, quia apud nonnullos suspectum habetur ob nimium eius caliditatem ne ad cerebrum materia trahatur. Eo sic vtimur, vt postquam dictæ partes prima vice linite fuerint singulis sex horis iterum liniri debent, sed prius quàm vngantur; Cum elisir vitæ primo illinuntur subtiliter dictæ partes, tum ut prioris inunctionis detersio fiat, tum vt paretur penetratio ipsius olei.

Ad corroborandum, atque tuendum hoc epithemate vtimur.

Rec. spec. epithime cordialis temperatarum dr. vj.
Aquarum cordialeum lib.iiij.
Aquæ rosaceæ vnc.ij.
Vini maluatici unc.iij.
Aceti optimi unc.j.s.
Mosci leuantini gran.iiij.
Ossis de corde cerui scr.j.

Misce fiat epithema cordi mane, & sero ante cibũ & pluribus uicibus cum panno sericio reiteratis detergatur locus, & exiccetur, & hoc linimẽto ungatur.

Rec. Therices electe Andromac.
Vnguenti rosacei an.unc. s.
Boli orientalis non adulterati scr.ij.
Olei contra venena dicti dr.j.
Elisir vitæ dr.j.s.

Aceti rosacei dr.ij.

Misce liniatur regio cordis post epithema.

Dum sic prauam materiam præparamus, & alexipharmacis insistimus enemata alternis diebus administranda curamus ipsaq; validiora, vt intestina a praua materia mundẽtur, & vt uenenati uapores, & praua materia unde eleuantur deorsum a principalibus membris reuellantur sic.

Rec. Decocti maluarum, florum camomeli, Anisorum, finiculi an. quantum suff. fiat decoctio de qua

Rec. lib.j.s.

Olei rosacei completi unc.iiij.

Mellis violacei unc.iij.s.

Oui luteum, Hieres. unc.s.

Salis dr.ij.

Misce fiat enema, & infundatur per horam ante cibum cauendum est à iusculis, & pinguedinibus ob putredinem. & si eger non exeat extra cubile, sed in patella qua vtimur Florentiæ enema deijciat, multum laudo ne insurgendo nimium fatigetur, vel animo uti solent, deficiat. & dum enema deiecerit buccella panis parumper assi in vino decenter infusa ei condonetur cum haustulo vini superbibendo. Dum hæc fiunt quoniam solent varijs accidentibus febrẽ hanc prauã sectãtibus infestari idcirco eis sic succurrimus. Et quoniam vlcuscula oris aphtæ dictæ. sepe infestari in hac febre solent.

Rec. Aquæ borrę si facultas adsit, & cum ipsa os, & fauces colluantur, & quandoq; gargarizetur. uel sic.

Rec.

Rec. Aquæ ordei
Aquæ plantaginis an. unc.vj.
Diamoronis dr.ij.
Mellis rosacei dr.iij.

Misce fiat gargarisma, uel collutio. & instrumento argenteo, quod linguicula dicitur interim os & fauces detergãtur, uel cocleare argenteo. vel sic alio gargarismate.

Rec. Aquæ plantaginis unc.x.
Vini, vel succi granatorum amabilium dulcedine aliqua non expertium unc.j.s.
Aquæ rosacee unc.s.
Misce fiat collutio, uel gargarisma. vel sic

Rec. Aquæ plantaginis
Arnoglosse an.unc.iij.
Portulace
Decoctionis sebesten unc.iij.
Vini citoniorum unc.ij.
Misce fiat collutio vel gargarisma.

Solent quoque sępius fauces à prauis, & feruentibus uaporibus inflammari ex quo affertur molestia, & difficultas deglutiendi nõ secus ac in ulcusculis dictis quibus sic subuenimus.

Rec. Aquæ ordei
Plantaginis
Portulace an.unc.iiij.
Aceti rosacei unc.j.s.& quandoque
Aquæ rosacee unc.s.
Misce fiat collutio, uel gargarisma.

Solent

Solent sępius in eiusmodi febribus egrotantes delirare, vel somnolentes fiunt ob uapores ascēdentes, & cerebrum petentes quibus sic succurrimus, & primo, vt a sōmno excitentur.

Rec. Castorei dr.s.

Mitridati dr.ij.

Succi rutę parum.

Misce illinantur nares, vel sic.

Vt auertantur uapores a cerebro frictionibus utimur spatulis dorso, & usque ad crura, & quandoque cucurbitulas applicamus: & quibus bifariam iuuamē sequitur quia retrahitur a cerebro infra tum etiam bonus sequitur tractus ab intimis ad extimas cutaneas partes prauæ materiæ intus latitantis, & ex retractione uaporum, tum somno, tū delirio occurrimus, & si hæc non contulerint sanguisugas ano applicamus, uel medicamēto aliquo noxiam materiam euacuamus prout magis expedire præsenti medico uidetur qui egri uires cum morbo, & eius statu recte conferre ualet. Solemus etiam cum materia cerebrum petere incipiat, & accidentia ipsa minari, in crura uessicatorium admouere loco quo cauteria infigūtur, sic

Rec. pulueris cantaridum scr.ij.

Euforbij recentis dr.s.

Fermenti, & aceti acerrimi an. quantum sufficit.

Fiat pasta quæ applicetur, ut dictum. Febrientibus ferè singulis in augumento morbi urina intercipi solet, & quamuis cupiditas adsit nihilominus urina non proiectatur, & frustra matellam accipiunt quibus

bus ſic ſubuenimus.

Rec. olei de ſcorpionibus vnc. j.

Vngatur pecten tepide, vel ſic.

Rec. Pautariæ
Si ſimbrij
Camomillæ
Aniſorum
Dauci
Maluæ
Violariæ
Petroſelini, vel appij

Fiat decoctio in aqua cum tertia parte vini greci cum qua fomentetur pecten cum ſpongia, & poſt fomentum cum oleo de ſcorpionibus inungatur.

Pręſtabit quoque non modo in reddendo vrinam ſed etiam in reuellendo prauam materiam à nobilioribus membris, & ad crura euacuanda vti puluere cãtharidum ea forma, vt ſupra eſt præſcriptum, & ſi ad crura appoſitum medicamentum ad vrinam prolectandam minime ſufficiat. Sufficiet dubio procul ſi ad exortum ſpinæ applicetur, nam quibus capiti applicatum à me fuit eiuſmodi medicamentũ ob alios affectus perſanandos ſingulis urinarum copiam promoueri expertus fui. quod nimirum cãtharidarum facultati eſt adſcribendum: Siti ingenti quandoque febrientes crucientur quibus ſic ſubueniendum.

Rec. Medullæ acidæ citri conditę eius quę Neapoli electiſſima paratur cocleare unum in aqua frigida ſemel madefiat, & ægrotanti exhibeatur, ut teneat in

lingua

lingua, & paulatim deglutiat, vel ſic.

Rec. eiuſdem confectionis coclearis dimidium diſpergatur in aqua decocta, vel ſtillaticio pulli ad mẽſuram dimidij ciathi, & ſitienti ad potandum exhibeatur, vel ſic

Rec. Radicis lactucæ ſaccaro conditæ, & in orbiculis conciſæ, & in decocta aqua decenter infundatur, vt à ſaccaro abluatur, & à dulcedine mundetur, & ex illis orbiculis æger vnum teneat in ore ad libitũ permutando.

Tranſacta decima quarta die, & nulla criſi ſubſequuta, & aluus ſoluta, vt in multis ſolet, minime fuerit neque adſit vrinarũ copia, & ea quæ expectari poteſt coctio in vrinis apparuerit, & iam deletis exanthematibus prauam materiã educere conſuluimus medicamento aliquo, quod virtutem non fatiget, neque inſignem faciat agitationem, & clementiora ſeligimus. Recipimus idcirco ſic.

Rec. Mellis roſacei ſolutiui vnc.iij.
Mannæ calabræ vnc.j.s.
Rhabarbari electi dr.j.
Agarici optimi ſcr.ij.
Zinziberis, ſalgemme, ſpice an.gran.vj.

Infundatur Rhabarbarum, & agaricus in decocto cordiali, & facta ſufficienti expreſſione Rhabarbari, leuiter exprimatur Agaricus cum dicta expreſſione fiat potio breuis cui addatur,

Aquæ cinamomi dr. j. s. exhibeatur in aurora ſed die præcedenti fiat enema.

Et aliud

Et aliud enema fiat alia die ſubſequenti a die aſsũpti medicamenti, & enema ſit lotiuum.

Educta quę euacuari poteſt noxia materia ſtatu adhuc non accedente iure capi ſorbilibus ouis, & contuſo in ordeacea ptiſana, & vino in prandio modice ſumpto, & decenter limphato quemmadmodum à principio minorata materia ordinatum fuit, ſic ægrũ reficere ſtudemus, vel ſaltim ſubſtinere vires quouſq; ad ſtatum accedamus. Vbi vero ad ſtatum accedere morbum dignoſcimus ex auctis ſimptomatibus, & ſub inde morbo ipſo in ſuo vigore conſiſtẽte, cibum illico detrahimus, & ægrum à vino, & pulli contuſo arcemus, & ſolo ferculo iam dicto alimus, & ſic proſequimur donec ſtatus, & morbi vigor perdurauerit. In declinatione autem, & poſt ſequutã criſim vberius ægrum alere, & decenter reficere curamus. Verum ſi poſt ſequutam criſim quæ per aluũ, & vrinas in eiuſmodi febribus, vt plurimũ ſequi ſolet morbi reliquiæ remanſiſſent ægrum cauentes à nimio cibo, & potu iuſculũ ei paramus paruæ pullæ in quo petroſelinas radices, cicoreum ſoncum ac parum cinamomi incoquendum iubemus, & ſaccaro dulcoratũ ſingulo mane ægro exhibendum inſtituimus, & ſic per aliquot dies, & tãdem pręparata materię reſiduo ſi expedire videatur naturaq; per ſe ipſam recrementorum reſiduum non expellat medicamentum aliquod exhibemus, vt quæ relicta ſunt recrementa euacuentur, & à Diacatholicone melle roſaceo ſaccherino, & Rhabar baro electuarioq; de dactilis dulcibus non recedimus

ne

ne defessas iam vires amplius fatigemus, & quia hæc satis esse videntur. Victus rationem tandem instituimus qua tanquam conualescentes vti valeant, neque in sex rebus non naturalibus delinquendi eis occasio præstetur. Habes tandem vir doctissime quid sentiã tum circa dignationem, tum circa prognosticum, tũ etiam circa curationem vagantis prauæ febris, quæ si nõ ea eloquentia, & methodo, vt fortasse expectabas, exarata fuere, ea nihilominus hilari fronte recipias tanquam à senescente trũco ædita, & ab homine, qui te vehementer diligit. Expectabo interim vt vicissim mihi significes an febres quæ istic vagantur, & cõterraneos meos, vt audio, seuiter angunt eiusdem speciei sint, an diuersas esse conieceris quod mihi significare non te pigeat. Interim vale amicorum optime, & me uti soles ama. Ex Florentia die XXII. Aprilis MDXCII.



INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM NOTABILIVM,
QVAE IN TOTO HOC OPERE CONTINENTVR.

A

peramen-

atque

Si

Galenus

FINIS.

REGI-

REGISTRVM.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRST.

Omnes ſunt Quaterniones, præter T duernio.



FLORENTIAE,

APVD PHILIPPVM IVNCTAM,
MDXCIII.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegio.

